ACADEMIAE CANTABRIGIENSIS *LACHRYMÆ*

TVMVLO

Nobilißimi Equitis, D. Philippi
Sidneij Sacratæ

PER
Alexandrum Nevillum.

Esai. 40.
Omnis caro fœnum, & omnis gloria
eius quasi flos fœni.

Psal. 112.
In memoria (autem) *sempiterna*
erit iustus.

LONDINI
Ex officina Ioannis Windet impensis
Thomæ Chardi. Anno salutis humanæ,
CIↃ.IↃ.lxxxvij. *Febr. xvj.*

Tho: Baker Coll: Jo: Socius ejectus.

Ad Academiam carmen Consolatorium.

Al. Nevillj.

Dic mater sobolis doctæ, *laniata capillos,*
Manibus *ah, quorsum libas lamenta* sepultis?
Nec risu gaudent superi, nec fletibus vmbræ.

Occidit *heu nostræ lux, spes, & gloria gentis,*
Vnica lux aulæ, spes pacis, gloria belli,
Sidneius *tumulo clausus iacet hoc, iacet eheu.*

Parce *precor Lachrymis, molli tege tempora vitta.*
ELIZABETHA suæ lux, spes & gloria gētis
Hostibns inuitis viuit, viuetque peremtis.

TVMVLO

Splendididiſsimi Equitis, D. *Philippi Sidneij Alexandri Nevilli*

SACRVM FVNEBRE.

Ad Illuſtriſſimum D. Dominum ROBERTVM DVDLEIVM Leiceſtriæ Comitem, Belgiæ fœderatæ ſub sereniſsima Regina ELIZABETHA præfectum: & Anglicarum copiarum Ducem ſummum.



HILIPPI Sidneij, clariſsimi Equitis interitus, (Comes illuſtriſſime) vt omnium animos mœſtitia defixit, ita pectus meum incredibili dolore ſauciavit. Nam etſi eum intimis ſenſibus omnes, ob ſingulares & verè divinas dotes, quibus aurea mens (perinde vt ſydus illuſtre) circumfulſit, vivum dilexerint, mortuum defle-

ve-

verint, tamen mihi præ cæteris illius obitus & acerbiſsimus & luctuoſiſsimus acciderat:

Tanta viri virtus *animo, tantuſque recurſat*
Gentis honos, *hærent infixi pectore* vultus
Verbaq́ꝫ: *nec placidam menti dat cura quietẽ.*

Non quod hic tantus, ex tam lamentabili tãti Herois occaſu ſuſceptus dolor, meo ſe pectori altiùs, quam aliorum impreſſerit: aut mihi grauiorem quam cæteris, tam nec-opinatæ calamitatis ictus plagam inflixerit. Quî enim id fieri poteſt? præſertim cum tot tantaq́ue dignitate præditi, amici, propinqui, affines, hoc tam lugubri caſu perculſi, ad miſerabiles vndiq́ue plãctus & lachrymas ſeſe devoluerint? Ex quibus neminẽ profectò exſtitiſſe reor (tam vehementi in illum amore incenſi vniuerſi flagrabant) qui hoc fatali, & nunquam non deflendo vulnere

nere, quod tantæ *Spei* tantęque *virtuti* nervos incidit, non ſe quoque afflictũ & debilitatum, propé etiam oppreſſum, atque exanimatum arbitraretur. Veruntamen mihi in hoc tanto, taliũ ac tam illuſtrium virorum luctu, meam, illorum, omnium, triſtitiã, mœrorem, ac ſolitudinem intuenti, ſi non iuſtiùs conquerendum, at ſanè dolentiùs deplorandum videbatur.

Eoque caſtiores meę *lachrimæ* mihi, & verò etiã SIDNEIANO TVMVLO gratiores ſunt viſę, quod nullis eſſent, vel perceptarum, vel percipiendarũ vtilitatum ſordibus inquinatę (tales namque illius dignitas reſpuiſſet) ſed purè ac ſanctè fluerent, nihilque in *Sidnæo*, niſi *Sidnæum* ipſum reſpicerent.

Neque etenim (qui mos eſt quo-

rūdam fortunę muneribus insolescē-
tium stultitiæ, vel potiùs insanię quę-
stus ac voluptatis suę gratia fœde le-
nocinantium externam hanc gloriolæ
laruam, pompamve terrestrem, vilia-
que quæ censentur *Bona* (mille quā-
vis malis obnoxia) magnî vmquàm
facienda putaui. Quamquàm peruer-
so sanè nomine *Bona* dicuntur, caduca
semper & mobilia, non *Virtutis* atq́ue
ingenij, sed cœcæ *sortis* & *temporum*
ludibria. Quibus interdum etiam &
mali in hoc Mundo, furiosissime de-
bacchantes, in cœlo sibi videntur, in-
terea dum fastu, ac turpissimis desyde-
riorum flammis ad breue tempus de-
flagrantes, cœlum terræ miscent, mox
apud inferos (miseri) cum suo infœ-
lici splendore, veris atque sempiternis
ignibus arsuri.

Huius

Huius autem *noſtri* vita, etſi multis ac magnis ornamentis exculta vndiq́; reſplenduerit; tamen quandò præ virtute, diuino ſuccenſus amore, iſta omnia contemſit, non hæc illi, neq́ue ob hæc illum, nobis ereptum deflemus, ſed cœleſtem iuuenem, cœleſti mente imbutum, haud ſuo (is etenim cum CHRISTO perenni gloria fruitur) ſed noſtro exſtinctum malo, quibus poſſumus lachrymis atque lamẽtis proſequimur.

Porrò autem cum mihi meæ lachrymæ, & tales etiam lachrymæ, magnopere diſplicerent, tantoq́ue viro, cuius mortem immaturam non homines modò, verumetiã MVSÆ ipſę, VIRTVTESQVE lugerent, indignæ prorſus viderentur, excitandos mihi planè quoad potui, atq;

inflammandos doctorum virorum ad collacrymandũ & oculos, & animos existimabam. Nimirum vt qui doctos dũ viueret doctissimus ipse amarât, fouerat, sustentarat, doctorum idem & *Laudibus* & *Lachrymis* celebraretur.

QVORVM ego cum *lachrymis* (Comes illustrissime) funebrem hanc quasi næniam, & meas *Lachrymulas* miscens, (sic se *Tamesi Vandalis* infundit) eas, æternas veluti amoris mei erga pręclarissimum Heroem indices *Excellentiæ* tuæ consecrandas putaui.

Tu etenim divinum adolescentem verarum laudum splendore illustrem (decus patrię, ornamentum generis, florem iuuẽtutis) insigni semper charitate, atque amore pęne incredibili

complexus

complexus es. Non tantùm vt (ſpectatiſsimæ, atq; nobiliſsimæ fœminæ) *Sororis* tuæ filiũ (etſi fieri vix poteſt quin ea recordatio mentem tuam ſæpenumero inexplebili delectatione perfuderit) ſed quòd ſumma doctrina, ſummo ingenio, ſummis etiã artibus perpolitus, maximarum quoque virtutum gloria circumfluxerit.

Vt nihil interim de illius erga te obſeruantia, vel certè potiùs pietate dicam, qua ita mirabiliter exarſit, vt non modò omnes cogitationes dum viveret, ad tuam dignitatem amplificandam converteret, verumetiam in ipſa morte (toti pænè terrarum orbi) triſte quamuis, memorabile tamen, & ſempiternum inauditæ beneuolentiæ teſtimonium, etiam ſanguine ſuo ſancitum relinqueret.

Accedit hûc *Cantabrigiensis Academiæ* (totius *Europæ* florentissimæ) non in vita functum duntaxat, sed in te *Comes*, ac tuos omnes, propensa semper voluntas, & studium ardentissimum. Quæ cùm *Nepotem* nunc tuum (perindè vt dudum filiolum) doctissimis & politissimis versibus luxerit, has quoq; lachrymas, sicut illas, perire, indignissimum mihi sanè videbatur. Præsertim cùm vt illæ, sic & hæ, omni sint immortalitate dignissimæ: vel quia ex oculis divino lumine illustratis fluunt; vel quia ob talem, tales profunduntur.

Quinetiam cùm vt *Orpheum* ferunt poetæ, vocis, cantusque dulcedine, saxa, & stipites post se traxisse, sic huius excellens in omni genere *Virtus*, non solum agrestes, & à Musis aversos,

ſos, luctu ac mœrore perculerit, verùm etiam ipſi pænè *Barbariæ* lachrymas excuſſerit, nonne iuſtò *Muſas* dolore, atque iracundia efferri oportebit, ſi in illius funere, qui *Muſarum* (dum vixit) delitiæ fuit, Muſarũ cultores & antiſtites conticeſcerent?

Poſtremò ſi auaros, ſi flagitioſos, ſi infames, & varijs turpitudinũ notis inſignes, ſuiſque duntaxat rationibus, non communi vtilitati ſervientes, iure optimo deteſtamur, eorumq́ue memoriam, ſi non ſcriptis (quod pleriq; omnes vel timore deterriti, vel otio dediti facere recuſamus) at certè tamen omni verborum acerbitate, & contumelia laceramus: quantò æquius eſt hunc excellentem & admirabilem virum, ſingulari apud omnes in laude ac celebritate verſari? Qui non

 modò

modò dum vixit, nullam vnquam turpitudinis labem vitæ suæ impressit, sed eam maximis semper & prçclarissimis optimarum virtutum luminibus insigniuit.

Et certè olim huic studio (sicut cçteris) tum à Regibus, tum à principibus (secundum reges) viris amplissima prçmia proponebantur, maximçque inde ad rem publicam vtilitates dimanavêre. Cum vel spe, vel metu posthumæ laudis, ac vituperationis clarorum virorum probitas, & industria sese erigeret: facinorosorum verò reformidaret audacîa. Nunc autem (heu tempora, heu mores) tam ad omne scelus proiecta multorum hominum nequitia est, quorundàm verò tam abiectæ mentes & in terram demersæ, vt nec futuri dedecoris turpitudi-

pitudinem extimeſcant, nec vlla honeſtatis ſpecie ad virtutem impellantur. Adeò (vt ait ille) *Poſtquam deſijmus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus.*

Præterea (quod ſanè magnoperè mihi dolendum videtur) illa temporum teſtis hiſtoria, his tutoribus, atque parentibus orbata, iacet in tenebris priuata luce *Veritatis* omni, veraque *Dignitate* ſpoliata. Ad quam cum putidi & inſulſi ſcriptores (velut proci petulantes & inverecundi) accedunt, eamque manibus profanis contractant, dici non poteſt, quantoperè eius venuſtatem, grauitatem, addam etiam & Maieſtatem, ſuis ſæpenumerò impuritatibus, & (anilium fabularum inſtar) ineptiis contaminẽt. Non ordo, non conſilium, non ratio

 non

non diligentia, non fides, temeritate, inſcitia, errore, diſiecta, inquinata, confuſa, perturbata omnia, vel odiorum horrida monſtris: vel aſſentationum portentis deformata.

Sed enim pereat, & ſicut fumus euaneſcat *Malorum* gloria,

Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno

bonorum autem laudes, æternitas & anni conſequentes excipiant. Et vt ſua *improbitati* velut merces *infamia* conſtituta eſt, ſic quæ *veræ virtuti* honos debetur, non niſi *veræ* virtuti honos deferatur.

Atque vtinam quæ vis mentem meam admiratione tanti decoris inflammavit, eadem etiam illam ita afflaret eius vt impetu concitatus, poſſem pro dignitate, vitam omnem huius *Præſtantiſſimi Herois* oratione complecti.

Nihil

Nihil mihi contingere poſſet, vel ad præſentis temporis ſolatium iucundius, vel ad poſteritatis memoriam illuſtrius.

Sed quoniam ſi non voluntate, facultate tamen deſtituor, minuenda ea cupiditas eſt, peritioreſque artifices adhibendi, qui ſciant illum excellentem mentis habitum, & multiplicem virtutis elegantiam, dicendi (prout decet) copia, & ſplendore exornare. Mihi interea ſatis erit, quæ viuis coloribus depingere nequeo, ea (perindè vt ſolent pictores inſciti) tenuiter adumbrare, meumque in illius interitu dolorem, inexplicabili luctu, & lachrymis declarare.

Atque equidem aliam ſi vllam huic vulneri medicinã invenire potuiſſem, non ad hanc potiſsimùm confugiſſem:

cùm Censores quidam delicatuli, iudicij sui subtilitati incredibile quãtum tribuentes, etiam & rectè facta (quandò non illis auctoribus facta) maledicentissimis vocibus conscindunt. Siquidem hac ætate aurea sunt nonnullorum hominum ingenia, ferrei mores: semperq́ue curiosorum, atque aliena fastidientium mentes, opinionis errore elatæ, liuore ac inuidia (veluti veneno) inflantur. Verum enimverò cum ex huius præclarissimi Equitis occasu animi angore intolerabili conficerer, mecumque tacitus meæ (vel certè potiùs communi in illius pręmaturo exitu calamitati) ingemiscerem peruersam istam maledicendi libidinem & insipidam quorundam sapiẽtiam haud tantî faciendam arbitrabar, dum-

tionibus hoc tam gravi & acerbo dolore defungerer.

Et quamquam audire mihi videor hilariter eum, & periucundè (sicut ſolebat omnia) inclamantem,

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu,
Faxit, cur? volito vivu' per ora virûm.

tamen illo vel invito, ac reluctante etiam (ſi per te *Comes* licebit) illius TVMVLVS noſtris fletibus perpetuò circumfluet.

Non quod illi quicquam proſint: (ſunt enim hæc vt ait quidam haud ſcitè minus quam ſanctè, *Non tam ſubſidia mortuorum, quâm ſolatia viuentium*) ſed par eſt nos, ſi non illius, at noſtra certè cauſa (ne ingrati videamur) munere aduerſus defunctum tam pio, tam neceſſario defungi.

Sic meruit *Virtus*, ſic *morum probitas*, ſic *Religio*, ſic excellens & admirabilis *ingenij* vis, ſic *Eruditio*, ſic erga *Maieſtatem Regiam fides*, ſic incredibilis erga *patriam*, erga te *Comes*, erga *Muſas*, erga *omnes bonos* amor.

O MENTEM igitur verè divinam, & cœleſtis ſemper gloriæ cupiditate flagrantem. Non te maternũ (DVDLEIORVM ab alta ſtirpe ductum) genus: non *Patris* ſplẽdidiſsimi atque ornatiſsimi viri dignitas: non tot tantáque nobilitatis inſignia: non florentis familiæ integerrimę fortunæ ſumma ſpe futuræ amplitudinis illuſtratæ: non flos virentis ætatis: non formæ decor & pulchritudo: non aulicæ vitæ ſplendor: non vndique circumſtrepentes voluptates ac deli-

delitiæ: non cætera mundi mala gaudia: quibus multorum animi velut facibus, ad ſuperbiam, libidinem, nequitiam, inflammantur, à virtutis ac ſapientiæ ſtudio avocare vnquam potuerunt.

Tu quibus à puero deditus es diſciplinis, in ijs excelluiſti: tu cunctarum penè artium, atque linguarum vſum, ſcientia, atque animo comprehendiſti: tu omnem philoſophiam, antiquã novam, profanam, ſacram, ad vnguẽ tenuiſti: tu hiſtorias, hiſtorias omnes (incredibile dictu) percurriſti: tu locorum, tu regionum ſitus, populorũ, vrbium, gentium, iura, leges, mores, conſuetudines, & auribus & oculis vſurpaſti.

Denique adoleſcens, imo pænè puer, qua ætate alij vix fari incipiunt,

pro *Regia Maiestate* ad *Imperatoriam*, perhonorifica legatione functus es. Atque ita functus, vt non solum eorum & oculos, & animos qui te viderant diuini tui ingenij admiratione perstrinxeris; verumetiam ad diuturnam illius tẽporis memoriam nominis tui famam propagaveris.

Hînc tot libri tuo *Nomini*, (velut immortalitati) cõsecrati. Hînc prudẽtię tuę, atq; doctrinę testimonia passim virorum illustrium scriptis ac monumentis inspersa. Hinc omnium ferè gentium gemitus & lachrymę, quæ te tam viridem lugent, in flore ætatis, fortunǽque, humanis ereptum. Hinc deniq; illa, illa, quæ te (funeri superstes) etiam ad cœlum eu exit *Virtus* plurimorum vt literis, sic cunctorum propè vocibus ac sermone celebrata.

Quid

Quid? quod non ita multis, haud scio an tibi soli con tigerit, vt quem *Reges* viventem, ob veré regias animi tui dotes adamaverint, idem vita lapsus, *Regem* quoq́ue tuarum preclarissimarum laudum præconem inveneris. *Regem*, non tam regno, quam scientia, eruditione, cæterisq; summo rege dignis virtutibus, & (quod caput est) *Christi*, veræq; *Relligionis* amore (sine quo nec *Reges*, nec *Regna* diu consistere possunt) insignẽ. Quod quale, ac quantum sit, sive Regem ipsum, sive te spectes, pro rei sanè magnitudine nemo vmquam satis expresserit.

Præterea vt foris ingentem vbiq; laudem consecutus es, sic domî, præsertim in *Aula* clarus semper, & carus omnibus, præcipuè autem *Regiæ*

 Maiesta-

Maiestati exstitisti. Vndè perfacile perspici potest, qui vir quantusque fueris, qui terrarum orbis Phœnici, augustissimæ *Reginæ Elizabethæ* (acerrimi iudicij principi, tum doctrinæ atque sapientiæ gloria incomparabili) tantopere placueris.

O itaq; incredibilem, & optandam magis alijs, quam sperandam ingenij vim. Quã *Regina* (ob multas, raras, eximias, & vix humano ore prædicandas virtutes post homines natos, omnium bonorum consensu vt optima, sic immortali laude dignissima) est & admirata florentem, & exstinctam lamentata.

Quid hîc tuorum, id est omnium, vlla tecum, vel vitæ consuetudine, vel sanguinis communione coniunctorũ beneuolentiam commemorem? Qui

quem-

quemadmodum te adoleſcentem egregium, ac prope divinum, propter tuos ſuaviſsimos mores, præſtantiſsimumq́ue ingenium, medullitùs amabant, omnibuſq́ue horis, oculis, auribus, complexu tenebant, ita nunc quoque, hoc ipſo tempore, mœrore & lacrymis, ſuum in tuo interitu dolorem, & (imîs ſemper ſenſibus infixum) amorem teſtantur. Adeò vt quot mortales hodierno die, ad hoc tam acerbum & fatale funus celebrandum confluxerint, tot in tuo funere, penè funera contemplemur.

Iam verò quemadmodum altitudinem animi tui omni liberalitate atq; munificentia declaraveris: vt tuam ſemper ſalutem poſteriorem ſalute communi duxeris: vt *auaritiam* atq; *ambitionem* duas teterrimas peſtes de-

vitaveris, vt aurum, vt cætera, quæ plerique omnes flagranti desyderio concupiscunt contemseris: vt curas omnes, in aliorum curis subleuandis consumseris: nullis verbis satis explicari potest.

Non vt quidam, qui fallaci beneficentiæ specie, & fulgore inani hominum oculis, nescio quas tenebras offundunt, interea dum per fas, ac nefas, divitias nullis (imo ne sibi quidem vmquam profuturas) uel accumulãt, vel (quod multò fœdius est) quas, magna solicitudine & fraude inexpiabili congesserint tætris ac nefandis libidinibus exhauriunt. Ac si nullam aliam ob causam, quicquid tangunt (instar Midæ) in aurum convertant nisi vt summa in auri copia (perindè vt summa in inopia) aut miserẽ contabesce-

besce-

beſcerent aut inſanis cupiditatibus ac luxu deteſtabili diffluerent.

Tua autem præſtabilis inſigniſque naturæ bonitas (neque enim is eras quem vel dira vmquam cupido diſtrinxerit, vel error inanis inflaverit) nihil aliud votis omnibus expetivit, niſi vt ſemper eſſet, vnde omnem fortunæ tuæ ſplendorem, omnes opes, gratiam, copias, facultates, ad aliorum vtilitatem transfunderes.

Hæc tibi ſtudia (O hominem verè magnum & excelſum) hæc tibi ſemper ſtudia cordi erant: hijs tuum pectus cogitationibus veluti flammis, ardebat: hos tu tibi, à terra in cœlum (ex hoc tetro & horribili errorum atq; ſcelerum gurguſtio) tanquàm gradus exædificandos putaviſti. Adeò ſe totum ſenſibus tuis CHRISTVS

Opt. Max. infixerat.

Parum est, ah parum: ad has tot tantasq; virtutes, & pacis ornamenta, militares etiam laudes adiungere voluisti. O utinam: quid horret animus? dicendum est: adiunxisti.

Quanta (proh dolor) in consilijs grauitas? in rebus ritè administrandis prudentia? in promissis fides? in moribus suauitas?

Ad amplitudinem porrò, & res magnas (quæ non nisi magno consilio & propè incredibili virtute efficiuntur) quæ vis? qui impetus? quantus ardor? quam inexplebilis?

Humanitas autem tanta, tanta mansuetudo, tanta benignitas, in socios, in hostes, in omnes, vt ei par nulla possit oratio inveniri.

De fortitudine verò quid dicam? O

te nimium fortem, si fœlicem: immo verò & fortem, & fœlicem: qui fortiſsimè cum hoſte, ſub CHRISTI ſigno, pro CHRISTI fide, contra impuri *Præſulis* perfidiam ac ſcelus dimicans, *DEI* gloriam, *Regiæ Maieſtatis* honorem, *Patriæ* caritatem, Ampliſsimi *Comitis* amorem, vitæ tuæ ante tuleris,

Hæ ſunt veræ laudes & verè tuæ laudes: hæc ſolida & expreſſa præſtantiæ tuæ teſtimonia: non verborũ coloribus depicta: non vllis ſimulationum ſordibus aut maculis inquinata: non gratiæ, non dignitati cuiuſquam (Deum teſtor, qui omnium mentes maximè perſpicit) ſed tuis multis, eximijs, exploratis, & vbîque cognitis virtutibus tributa. His tua vita, vita ah nimium breuis: breuis,

 ſed

ſed admirabilis: etiam & mors ipſa ornamentis magnificentiſsimè redundavit.

O fortunatam itaq; mortē: & vt anteactæ vitæ dignitate perinſignem, ita exitus quoq; gloria illuſtrem. Quę etenim (O gentis, ac generis tui lumen) quę tantas, tam inauditas, & numquam non celebrandas laudes, vel inobſcurabit oblivio, vel poſterorūm reticentia ſepeliet? Quis erit ita invidus vt eas non agnoſcat? immemor vt pręteread? inhumanus deniq; vt ſilentio involvendas atque obruendas putet? Pręſertim cùm tot *virtutibus* tuis, *rebuſque* ampliſsimè *geſtis*, proprijs ipſe quaſi manibus, famę ac gloriæ *monimentum* memorabile, & omni pęnè tempore perenniùs exſtruxeris.

Tecum

Tecum igitur (O nobilissime nuper, nunc autem Sanctissime Heros) præclarè actum est, qui quod omnes scimus, dum vixisti, vera cum virtutis laude semper vixistî, vixisti tibi, quo viveres alijs non tibi: vixisti patriæ pro qua vitam gloriosissimè profudisti: vixisti DEO, vt semper viueres cum Deo.

Et nunc lætus terras despicis, fragiliáque ac caduca bona (erroris & inanitatis plenissima) bonis nullo œvo interituris circumfusus contemnis.

Ex corporis etenim huius vinculis (velut ex arca *Nobæ*) in cœlestem Hierosolymam subvolasti; neque ijs nunc, quibus nos (miseri) perturbationum fluctibus iactaris. Non vllis immundorum animalium impurita-

tibus commacularis: non reciprocantibus humanarum rerum vndis: huc atque illuc impelleris : non invidiæ, non ſuperbiæ, non avaritiæ, non cæterarum quibus omnia pervertuntur cupiditatum procellis,ac veluti ventis circumflantibus ſollicitaris. Non denique illa nefanda, inaudita, Deo hominibuſque exoſa, proditionum portenta,quibus (prô pudor)diuina humanaq́ue cuncta polluuntur perhorreſcis· Quin potiùs ſi tantæ perfidiæ ſenſus ad te peruenerit quorum amẽtia tam inexpiabiles fraudes ſuſcipiuntur, eorum exitus horribiles proſpiciens, incredibili voluptate perfũderis. Fieri enim non poteſt, quin quot ſe ſceleribus obſtrinxerint, tot vbîque ſibi veluti cruces ac patibula defixerint. Quandoquidem ijs qui tam

tam horrendo, atque importuno piaculo ſeſe devinxêre, impendent ea, quæ omnes ſemper manent proditores, atque imperij peſtes ſupplicia. Regiæ Maieſtatis imminutæ terror: Violatæ patriȩ memoria(ſempiternis ignominiæ maculis inuſta)afflicti,deſertæ, abalienati, parentes, coniuges, liberi, propinqui, affines: amici, omnium (etiam eorum quibuſcum vivunt) odium: contumelia, ſuſpiciones, inſidiæ: tum verò ex ſceleris ac dedecoris admiſsi conſcientia, divinæ vindictȩ horror, metus, formido, anxietas, deſperatio, carcer, eculeus, tortor, laqueus: & ſi quid his acerbiùs,tetriùs,deteſtabiliùs excogitari poteſt.

Verumtamen his tu(O Terrȩ dolor & decus cœli)his tu prodigioſiſsi-

mis impurissimi seculi furoribus non commoueris: sed tantorum malorum securus, ob omni terrenæ labis contagione liber atque solutus, ea cernis, audis, cogitas, quæ humanis nec auribus nec oculis concipi, nedum morituri pectoris angustijs comprehēdi queant.

QVOCIRCA huic ANIMÆ tuæ, tam fœlici, tam beatæ, tam veris, solidis, æternisque delitijs circumfluenti, vna omnes voce congratulemur: nostram autem vicem doleamus, qui fluxis, qui inanibus qui mundum, mortemq́ue redolentibus, ac proindè iam iam perituris, sive curis, sive gaudiis perpetuò distrahimur.

DENIQVE (nam & hoc quoq; reliquum est) DEI OPT. MAX.

MAX.iram, qui hunc lectiſsimum florem noſtris proculdubiò infenſus ſceleribus ſuccidit, ne acriùs inardeſcat, caſta dehinc (vt decet) vita, & puris precibus expiemus. Cuius SACROSANCTVM & ineffabile numen, mentem tuam (Comes Illuſtriſsime) divina luce colluſtret, vt contemtis inſidioſiſsimis huius vitæ illecebris, omniq́ue cura in *Æternitatis* ſpe ac deſyderio defixa, ardenter & toto (quod facis) pectore *Chriſtum* dumtaxat *Ieſum* & *Cœleſtem gloriam* ſuſpires.

Londini, CIↃ.IↃ.lxxxvj.
Feb. xvj.

Amplitudini tuæ

humillimus

Alexander Nevillus.

IN *PHILIPPI SIDNÆI* interitum, Illustrissimi Scotorum *Regis carmen.*

Thou mighty Mars *the Lord of souldiers brave,*
And thou Minerve, *that dois in wit excell,*
And thou Apollo *who dois knowledge have,*
Of euery art that from Parnassus *fell*
With all your Sisters *that thaireon do dwell,*
Lament for him, who duelie serv'd you all
Whome in you wisely all your arts did mell,
Bewaile (I say) his inexspected fall,
I neede not in remembrance for to call
His race, his youth, the hope had of him ay
Since that in him doth cruell death appall
Both manhood, wit, and learning euery way,
But yet he doth in bed of honor *rest,*
And euermore of him shall liue the best.

Idem latinè per eundem Regem.

Armipotens cui ius in fortia pectora *Mauors*
Tu *Dea* quæ cerebrum perrumpere digna *Tonantis*
Tuq; adeo biugæ *proles Latonia* rupis
Gloria, deciduæ cingunt quam collibus *artes*

Vos etiam huc lachrymas conferte *Heliconides*, istum
Plangite, quo vestri non obseruantior alter
Nec fuerat vestris insignior artibus alter,
Plangite talem inquam, quem fata inopina tulere.
Cuius quid memorem, quid carmine persequar altum
Aut genus, aut virides annos, aut quam dederat spem?
Exuit heu rapido mors illætabilis ictu,
Quo *Mars*, quo *Pallas*, quoque ipsum ornauit *Apollo*
Sed venerandus *honos*, cineri superinduit vrnam
Parte etiam meliore sui super æthera viuit.

Idem latinè per Patricium Graium Dominum de Fermiling dicti Regis Consiliarium.

TV Domitor *Phrygiæ Mars* & facunda Minerva,
Adsis, *Aonias* iungas *Apollo Deas*
Flete omnes, vestri modò tristia fata *Philippi*
Qui simul in docto pectore vos habuit.
At genus, & proauos, & quæ spes credula certis
Sponderat indicijs, prætereunda mihi.
Cùm simul humano, tres vno corpore *diuos*
Exstinctos secum Mors inopina tulit.
Et licet *Hectorea* requiescat pectus in vrna
Hic meliore tamen parte superstes erit.

Idem per Ioannem Mætellanum Scotiæ *Vicecancellarium, Regique à* Secretis.

MAuors, *Pierides*, cerebro *dea* nata *Tonantis*
Phœbe sacri *Aonidum* gloria, duxque chori,
Sydnaum insignem pridem *Sophia, indole* & *Armis*

Amissum

Amissum letho plangite funereo,
Quid genus, atque atauos, quid spem florente iuventa
Herois memorem, quantaque præstiterit.
Sed *Sophiæ bellique* decus, tot munera Divûm
Sustulit ante suum mors inopina diem.
Victor at occubuit, struxit sibi morte Trophæum
Et meliore sui parte superstes erit.

Idem per Coronellum Ia. Halkerston.

MArs pater armorum, & cerebro *Iouis* edita virgo
Pallas ades, nec non bifidi tu montis *Apollo*
Incola, & Aoniæ terræ tua cura *sorores*
Vos immaturos obitus, miserandaque fata
Sidnæi deflete, & mecum iungite quæstus,
Sidneique necem tot numina plangite mecum
Vos illum coluistis enim, vos ille secutus
Martia Palladiis immiscuit *artibus* arma
Et canere imbelles docuit fera bella *Camænas*.
Quid prodest genus (heu frustra) viridemque iuventam
Spesque & vita hominum nunc intercepta dolere?
Me miserum, hæc vno mors omnia sustulit ictu,
Et nihil ex tantis, & tot modo dotibus vltra est.
Fallor? adhuc restat meliore ex parte superstes,
Inque ipso inter nos lecto redivivus honoris
Non moritura vmquam post se monumenta reliquit.

Idem aliter per Eundem.

ARmorum bellique decus *Mars* inclyte, tuque
Nata tui cerebro *Tritonia* diua parentis
Nec non *Phœbe* tuas *Parnaßi* è vertice *musas*

Duc tecum, & querula *Sidnæi* funera voce
Plangite nam vester fuerat *Sidnæus* alumnus
Quid genus, & proauos, & ſpem, floremq́ue iuuentæ
Immaturo obitu raptum ſine fine retexo?
Heu fruſtra queror: heu rapuit *Mors* omnia ſecum
Et nihil ex tanto nunc eſt *Heroe* ſuperſtes
Præterquam decus, & nomen virtute paratum
Doctaque *Sidnæas* teſtantia carmina laudes.

Eiuſdem Regis in Eundem Hexaſticon.

VIdit vt exanimem triſtis *Cytheræa Philippum*
Fleuit, & hunc *Martem* credidit eſſe ſuum.
Eripuit digitis gemmas, colloque monile,
Marti iterum nunquam ceu placitura foret,
Mortuus humana qui luſit imagine divam
Quid faceret iam, ſi viveret, ille, rogo.

Alexandri Setoni, D. de Seton, & Regi à Conſilijs.

TEne igitur *Sidnæe* tui laus inclyta *Martis*
Gloria *Parnaſſi Pieridumque* decus?
Tene etiam ſæui ſors ſuſtulit improba belli
Nec *Superi* tantum continuere nefas?
Non tu *Phœbe* tuo, non vos doctiſsima *Pindi*
Cultori veſtro turba tuliſtis opem ?
Non tu belli potens potuiſti auertere fatum
Inijceret diras ne fera Parca manus?
Anne iterum *Admeti* tauros paſcebat *Apollo*
Aut *Daphnim* fleuit per iuga *Theſsalia*

Lemnia

Lemnia Vulcani tenuerunt vincula Martem
Ne iuueni incauto ferret amicus opem?
Non ita. Sed certo firmarunt ordine *Parcæ*
Fata: manentque suas cuncta caduca vices.
Non priûs exscindi potuerunt *Pergama* bello
Sensere Amonij quam fera tela ducis.
Ipse tamen *Phrigij* iaculo Pastoris *Achilles*
Ante etiam *Troiæ* mœnia capta cadit.
Sic *Bata vus*, sic te periturus *Belga salutis*
sidnæe Authorem sensit vterq; suæ.
Sic tua *Belgarum* fatis iunxere *Sorores*
Fata, quies illis morte paranda fuit.
Fataque in hoc Græci exsuperas, quod funera cernes
Obruta Pelidæ funere *Troia* fuit.

In Philippum Sidneium celebratum à *REGE SCOTORVM*, *Al. Nevilli* Carmen.

VT *Magnus* mundi domitor, cognomine *Magnus*,
Ad *Larissæi* tumulum peruenit *Achillis*,
Ingemit, & tacito suspirans pectore fatur:
Inuideo *Pellæe* tibi, tua fortia facta
Altisono Divus lituo laudauit *Homerus*.

At qualis? Cæcus, submissæ sortis *Homerus*:
Quid tum? Si Danao laudator dignus *Achille*,
Alta casas humiles vt vincit Regia solis,
Sic vincit meritis & laude *Philippus Achillem*,
Atque nouus veterem sic *Vates* vincit *Homerum*.

Regia Sidneium vulgauit buccina nomen.
Plectra canant alios, cecinerunt Sceptra Philippum

De trivio tenues carmen cohibete Poetæ
Ista *coronatis* sunt carmina digna *Cothurnis*
Fortunata nimis, requiescite molliter ossa
Est REX est vestroq; dignus splendore *Poeta*.

Eiusdem in Eundem, & Academiæ in illius funere Lacrymas, Carmen.

DVm tu dulce decus, *sydus Sidnæ* Britannûm
O *Sidnæe* tuæ lumen mirabile gentis,
Dum Christo gratus, patriæ pius, acer in hostem,
Afflictis, socijsque bonis, fidusque laboras
Splendida virtutis velut ante domique forisque
Doctrinæ documenta dabas, tam fortibus armis
Quàm claris studijs: quàm nobilitate tuorum
Natus es insignis, tam tu præstantibus actis
Factus es eximius. Quod si mors sera fuisset
O quales fructus ætas matura dedisset
Dulce decus nostrum, *Sydus Sidnæe* Britannûm.
Nunc vero quibus hæc lacrymis, quo funera fletu
Sat decorare queam ? tibi quamuis dulce periclum
Pro *Christo* & *Patria*, tamen ô spes maxima nostra
Heu immaturam (iuuenum pulcherrime) mortem,
Dulce decus nostrum *Sydus Sidnæe* Britannûm.
Talibus ac alijs cupiens aperire latentem,
Visceribus, nequeo lacrymis æquare dolorem
Languidus, attonitus, victus mœrore recumbo
Quid facerem ? nequeo satis, at lugere necesse est
Et celebrare pium. Cum non satis assequor ipse
Ecce tuas veneranda parens *Academia* mater
Addo meis lacrymis, quarum tu flumina fundis
Lugubri cantu, *matremq;* sequuntur *alumni*
Vnanimes, docti numerosos fundere fletus.

Sic ô sic talem & tantum celebrare decòrum est,
Sic *Musis* charum iuuenem lugere benignum est,
Has ego ne pereant *lachrimæ* & fundantur inanes
Colligo. Magna satis licet ipse *Tropæa* relinquis.
Hæc quoque *Sydneæ* laudis monumenta manebunt,
Ac in te gratæ certissima *pignora* mentis
Possumus hoc vnum mortales, sed *Deus* vnus
Te cum cœlicolis ad gaudia summa recepit,
Dulce decus nostrum, Sydus Sidnaei Britannûm.

ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS LACRIMÆ TVMV-LO NOBILISSIMI EQVITIS D. *PH. SIDNEII* HONORIS ATQVE A-MORIS ERGO SA-CRATÆ PER A-*LEXANDRVM NEVIL-LVM.*



ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS lachrimæ, in obitum clarissimi Equitis, Domini PHILIPPI SIDNEII.



O Fili, dilecte Deo, dilecte parenti,
(Heu, nimium, nimiumq; orbæ, viduæq; parenti.)
Et *Musis* dilecte bonis, *Genijsq;* beatis,
Et Virtuti ipsi dilecte, & Amoribus ipsis,
Et Pietati ipsi, quam pura mente colebas:
Chara orbis soboles, matris grande incrementum,
Diuinum ingenium, suadæq;, artisque medulla,
Tantarumque spēum Hæres, tantorumque bonorum:
Quis dolor, ah quantus, quantus dolor, optime fili,
Dulce tuum amisisse caput, nimiumque suaui
Depriuari anima, charitum quam gratia tota
Mirifice insigniuit, & omni ornauit honore:
Siue honor armatus peteretur, siue togatus,
Siue alius quicunque illustri stemmate dignus?
Siccine te cunctæ Virtutes, totaque *Pallas*,
Omnisciusque *Hermes*, & quicquid nostra *Lycæa*
Ornamentorum decantant, paxque, duellumque,
Et validus *Mauors*, infœlix bestia *Mauors*,
Dotibus instruxere suis, vt protinus esses
Ille ingens Marcellus, ad omnia summa creatus,
Solis sed castris summi fabrifactus olympi?
Ecce meus nuper quam fortunatus Alumnus,
Siue aula, siue vrbe incederet inclytus, vnum,

Vnum omnes vt ſpectarent, blandoque viritim
Ore ſalutarent; addentes ſæpiùs, hic eſt :
Aut hic, aut nemo generoſæ gloria ſtirpis :
Gemma iuuentutis : flos aulæ : ſidus honoris :
Laurea virtutis : magnorum ſplendor auorum.
At nunc : ſed præſtat lachrymarum flumina tanta
Littoribus cohibere ſuis, luctuque refertum
Obuoluiſſe caput, linguamque dicare ſtupori;
Vnica qui veri facundia viuida luctus,
Tantorum ſolet Heroum deflere ſepulchra.
Quid crinem incomptum; aut ſparſos ſine lege capillos;
Turgenteſúe genas : aut pullas denique ſordes
Conquerar? aut fundam gemibunda voce querelas,
Qualia vix tragicum ſenſit lamenta Theatrum?
In caſſum furor : Ah periiſti ſplendida proles,
Quam ſolis poterunt lachrymis decorare Camenæ;
Artibus haud vllis animare, aut fletibus vllis :
Hippolitum vt quondam, Tuberonemque, Auiolamq;,
Totque alios, ſubitò rediuiuos fabula finxit.
Dulce decus tamen affari, quæruloque tremore
Compellare iuuat, planctumque abſtergere planctu.
Dum tu illuſtrem animam generoſo in corde fouebas,
Ac validum in pulchro geſtabas corpore pectus;
Ecquænam mater celebratarum vndique matrum,
Totius auguſtas Europæ habitantium Athenas,
Tale orbi potuit tantumque oſtendere pignus?
Pignus honoratæ plenum virtutis, & artis,
Seu *Mauors*, ſeu *Mercurius* certare iuberet.
Heu virtus, nulli virtuti funera parcunt.
Heu lachrymæ, deſunt tanto, tantoque dolori :
Et ſtupeo magis, atque magis venerabile buſtum,
Inclyta quo ſeſe, quaſi mortua, fama recondit,
Ac monumento vno centum monumenta reponit,
Queis *Sidneianum* decus inclareſceret orbi,
Socraticiſque alis cunctas volitaret in oras.

Quid

Quid faciam ? Diuine pater qui condere ſolus
Sidneiana potes miracula rerum, hominumq́ue,
Redde nouos Muſis, immortaleſq́ue *Philippos*,
Qui noſtrum illuſtrent fulgenti nomine nomen,
Nec ſquallere ſinant literatæ gentis Alumnos.
Intereà horribili mactatum ſtrage Philippum,
Heu iterumq́;,iterumq́;, etiamq́ue, etiamq́ue dolendum;
Æterno Elogio, quod poſſumus, ac debemus,
Luctiſoniſq́ue himnis, ſuadáque ornabimus omni :
Dum Muſæ calamos, aut linguas gratiæ habebunt,
Aut virtuti aderit comes inſeperabilis Hermes,
Magnanimos alto decorans Heroas honore.
Ah, magis, atq́ue magis iuuat incubuiſſe ſepulchro,
Et Thameſi, & Nilo lachrymarum,nobile ſaxum
Alluere, impoſitumq́ue cadauer plangere verſu :
Hîc ſitus vtriuſque Lycei filius ingens,
Et cœlo, & terris, hominiq́ue, Deoq́ue, choriſq́ue
Angelicis, ſuprà reliquos optatus alumnos :
Et vitæ, & morti charus, cunctiſque cupitus :
Cœlicolis abſens primum,præſenſq́ue Britannis,
Cœlicolis ſubitò præſens, abſenſq́ue Britannis :
Hîc, illic, abſens præſens, viuuſque, iacenſq́ue,
Æquales præter, multum, multumq́ue petitus.
Tanta erat in valido diuina, humanaq́ue virtus
Pectore, & omnigenos ſic delibauit honores.
O dulce ingenium, nimium niſi dulce fuiſſes,
Dignius & cœlo, quàm tetro carcere mundi,
Indigni tanta virtute, ac numine tanto.
Sors tua ſplendidior : noſtra eſt iactura ,ſcholarum
Extinctum quibus eſt lumen prælustre duarum.
Sancte Deus, miſerere mei, miſerere ſororis,
Et *Sidneiani* ſplendoris lumina plura
Cœlitùs in noſtris quamprimum accende Theatris.

G. H.

INclyta *Sidneidûm* proles, generose *Philippe*
Cantia quem genuit Mauortia terra Brytannum,
Quo celebrare tuas conabor carmine laudes?
Qui, dum pro Batauis haud segnis prœlia misces,
Armatas pellens acies, inimicaque signa,
Subdis calcar equo, mediosque inuectus in hostes,
Hinc atque hinc vrgens duros prosternis Iberos,
Et cupidè pulchram properas per vulnera mortem.
Parce socer lachrymis, parce o charissima coniunx,
Et vos magnanimum verè par nobile fratrum,
Dudley Comites tristi desistite luctu,
Viuit enim vester, semper viuetq; *Philippus*,
Quem longinqua dies memori non eximet æuo.

Nobilissimo adolescenti, D. PHILIPPO SIDNEIO, Equiti torquato, ex vulnere, quod in Belgico quodam prælio victor acceperat, non ita multo post mortuo, amoris atq; officij ergò f. Tho. Bingus.

In obitum D. Philippi Sidnei, clarissimi fortissimique equitis, Carmen.

MAgne Deus, quid magna iuuant, & inania mundi
Gaudia? quid rerum gestarum laude priores
Exuperasse duces, famamque æquasse supernis
Sideribus? quid in his opis est? quid quæso, quid hęc sunt?
Magnus Eques, & Marte potens, comitumq; duorum,
Atq; equitum totidem clarissimus occidit hæres,
Occidit heu iuuenis, cui clarus & integer æui
Sanguis erat, viresque suum tenuere vigorem.
Occidit, occidit heu, crudeli *Marte Philippus*
Magnus eques, & Marte potens, fœlicior illo,
Qui quondam iuuenis Macedonica sceptra tenebat:
Si patris ante necem media lusisset in aula,
Paruus Alexander, iusto qui tempore posset

Esse etiam magnus, magnumq; referre parentem:
Occidit heu, corpusq; suis exangue relinquens
Spiritus alta petit, plenoq; manentia cornu
Gaudia in æternum ter fœlicissimus haurit.

Hum. Tindallus.

De subito & præmaturo interitu No- bilis viri, Philippi Sydneij, vtriusque militiæ, tam *Armatæ, quam Togatæ, clarissimi Equitis: officiosi amici Elegia.*

POst alios, aliosq; sepultos ordine amicos,
Tu quoque amicorum prime, *Philippe*, iaces?
Aut quorsum hinc *Hermes*, hinc *Mars*, hinc patria virtus,
Hinc omnes charites, spesq; , laresq; dolent?
Nimirum occubuisti, animæ pars aurea nostræ:
Et merito charites, spesque, laresque dolent.
Angliades, Belgæq; dolent, longumq; dolebunt,
Magnanimus quibus est fusus honore cruor.
Et socer, & coniux, & auunculus: & quotus eheu
Non dolet affinis, sanguineusue tuus?
Et Cantabrigia, Oxonium, Musæq; remotæ:
Vtraque castra dolent: Arma, togęq; dolent.
Nobilium ecce cohors: en ipsa Hera, magna suorum
Curatrix procerum, terq; quaterque dolet.
Patria tota, Britannia tota, Hollandia tota,
Vtriusque Aretę tota corona dolet.
Præ cunctis dolet, ęternumq; dolebit amicus,
Vnum qui funus, funera mille putat.
Ah, quantus quantusque fuit, potuitque fuisse,
Tam pręclari vsus, magnificiq; viri?
Ornauere libri iuuenem: maturior ętas
Quas non præconi multiplicasset opes?
Area larga nimis, nimium nimiumq; dolendi,

Seu commune agito, ſeu proprium ipſe bonum.
Seu Martis, ſeu Muſarum, ſeu ciuica caſtra
Cogito, ſeu iuſta conſociata fide.
Creſcite ab hoc Cedri, Lauri, Palmæq; ſepulchro:
Magnarum hic ſitus eſt vnicus Alpha ſpëum.
Immortalem animam venerabitur inclyta virtus,
Belgarum, aut Britonum dum recoletur honor.
Hoc validæ, dulciq; animæ, lachrymabile carmen,
Deuoto zelo, ſquallida Muſa dicat.

Ad illuſtriſſimum Dominum Comitem Leiceſtrenſem protheoreticon.

DIcitur audaces fortuna iuuare labores,
Cęptaq; magnanimi decorare ingentia cordis.
Quis neget, interdum generoſo pectore raptos
Auſibus immenſis cumulaſſe trophęa ſtupenda?
Maxima terrarum oſtenta, ac miracula quondam
Sic incredibiles coaceruauere triumphos.
Magnus *Alexander* validum ſectatur *Achillem*:
Cæſar Alexandri duplicat, triplicatq; vigorem:
Cæſaris exemplo, quot ſperauere monarchæ
Se quoque prærapido abſorpturos, cuncta furore?
Succeſſum eſt non nunquam: & fortè audacia ſola
Nobile hiperbolici tranſcendit culmen honoris.
Aſt certum mortale nihil: cumq; omnia mundi
Fluxa ruunt, tum bellorum impenſè alea ludit,
Quę contingenti innumeros decepit elencho.
Reſpice tot validas acies, turmaſq; potentes,
Inuictoſq; duces, heroaſq; ad ſumma creatos,
Nec vi, nec virtute, nec vllo Marte, nec arte,
Nec proprio, nec communi molimine tutos.
Proh dolor: heu virtus: eheu fiducia cordis

Maſcula,

Maſcula, & intrepidi mens imperterrita Martis:
Aſpice magnanimi *Sidneij* exſangue cadauer,
Viuida quem dudùm ſubuexit ad æthera virtus.
Sic volvit fortuna rotam ſic *Cæſaris* auſus
Cum vult, confundit, cum vult extollit ad aſtra.
Non animus, non conſilium, non techna *Philippo*,
Non ars defuerat, non vlla in pectore virtus:
Solius abfuerat Martis fortuna fauentis,
Quę modò dat montes, modò celſum ſternit Olympum,
Nec quicquam, aut quenquam ſolida ratione tuetur.
Mercurium Baſe quadrata ſtatuere vetuſti:
Fortunamq; pila: quàm raró fallitur ille?
Sed quoties fallit? quoties ſed fallitur illa?
Ah, quantum, quantumque fefellit nobile pectus
Magnanimi iuuenis, ſummos ſatagentis honores,
Ac valido gladio decus immortale operantis:
Dum ſclopa terribilis, violento intorta furore,
Horrifico foderet generoſum vulnere corpus,
Atque vno tot virtutes contunderet ictu?

O te non fallat, cura infinita bonorum.

G. H.

In obitum clariſſimi viri, D. Ph. Sydneij Equitis aurati.

PAcis amans ętas, crudelis neſcia belli,
  Martis ad extremum flebile vidit opus.
Quęq; diu nullum fleuit gens Angla cruorem,
  Vnius interitu percita, tota gemit.
Cur Muſis multum acceptus *Sidneius* Heros
  Captabat potius Martis amicitiam?
Aut ſi tantus amor charas inuiſere Muſas,
  Num ſolus potuit Mars aperire viam?

Sed mala quę veniunt fato: mortalibus ęgris
  Hęc lugere licet, nec prohibere licet.

Antonius VVingfeild.

In obitum nobilissimi viri Domini Philippi Sydnei.

QVis te, quis iuuenis possit memorande silere,
  Atque negare tuis (si qua est ea gloria) carmen
Funeribus? sed quis tanta dabit indole dignum ?
Quis memorare potest, quantum decus, atque dolorem
Attuleris : pugnando decus, moriendo dolorem ?
  Hęc est nobilitas, proprias adiungere laudes
Patris imaginibus : laus hęc celeberrima, cum te
Laudati laudant proceres : hæc fama merenti
Quę datur, & multis memoratum nomen in oris :
Hęc virtus, claram meritis extendere famam :
Hic decor est, pulchro splendens in corpore virtus :
Hęc pietas, lapsis hominum succurrere rebus,
Et pręstare fidem socijs, Dominosque superbos
Arcere, & vitam pro religione pacisci :
Hę sunt diuitię, teneas cum plurima, speres
Maxima: maiores, meliores, denique plures,
Addere mentis opes, quas externique tuique
Vndique suspiciant : sed cum sit nemo supremum
Ante diem fœlix, hęc mors, pulcherrima demum
Pro Christo patriaque mori : dum prospera res est,
Fortunata mori : dum spes incerta futuri,
Tempestiua mori. Tua sunt quę multa recordor,
Et quę plura manent : hęc sunt tua pulchra trophęa,
O *Sidnæe,* potens sic tu pręnobilis heres
Editus in lucem, sic tu, dum vita manebat,
Splendebas. O dulce iubar, sic actor honesta
Existi scena, sic fabula tota peracta est

Non

Non ea longa tuæ, ſed fœliciſsima vitæ.
Fœlix maturis ſuperaſti fructibus annos,
Cui robur iuuenile, ſimul cui cura ſenilis.
Fœlix, qui poteras citius contingere metam
Optatam, quem non Deus ad grauiora reſeruat,
Cuiq; dedit miſerans bene geſtis pręmia rebus
Protinus æternæ vitæ cœleſtia dona.
Talia ſolantur curis ingentibus ægros,
Cum te reſpicimus: quod ſit tibi dulce leuamen,
Quod tibi parta quies operum: tibi palma laborum.
Hæc eadem tamen, (heu deſunt ſua verba dolori
Infando) quæ lęta tibi, triſtiſsima nobis
Orbatis virtute tua: promiſimus ipſi
Sæpe (aliam meſſem tum ſpe dabat herba)futurum,
Manſurumq; diu mirum & memorabile nobis
Te cunctis in pace decus, tutamen in armis:
Quam cito primęuum florem, viridémq; iuuentam,
Pręſtantemq; decore dies hinc abſtulit atra,
Et proſtrauit humi, magnum & miſerabile funus.
Vſque adeo non eſt ſpes in mortalibus vlla
Firma, ſed in Domino, qui cœli ſydera torquet.

Carolus Hornus.

Quærela Kantiæ

De obitu Nobiliſsimi Heroïs, & omni laude *cumulatiſsimi, D. Philippi Sydnai Militis.*

QVis mihi, quis miſerę iam fletibus ora rigabit?
Quis mihi, qui lachrimas ſuppeditabit, erit?
Humor abeſt oculis, deſunt mihi verba gementi.
Pectora tundendo dextera laſſa ſtupet.
Kantia mater eram dudum celeberrima nato
Sydnæo, & fœlix *Kantia* Mater eram.

Sed nihil est, toto, quod perstat in orbe beatum.
Abstulit heu natum Mors mihi sæua meum.
Quamuis censebor numerosa prole beata.
Clarorumq; tuli millia multa virûm :
Tu fili *Sidnæe* tamen, spes vnica matris,
Tu mihi, qui gentis gloria summa tuæ,
Tu mihi solus eras lenimen dulce senectæ,
Vnus eras vitæ tu mihi vita meæ.
Tuq;, tot amissis natis, charissime fili,
Maternos luctus, qui breuiabat, eras.
Et poteras vixisse tuis, vixisse Parenti,
Multa per ætatem lustra secunda tuam.
Sed mihi, sedq; tuis negat hoc Mors inuida, rupit
Ante senectutis quæ tibi fila, diem.
Ergo quid reliquum est? An & hæc quoq; vita vocetur,
Quam ferus, infestat, perpetuusq; dolor?
Scilicet illa manet luctus solatio tanti,
Cor mihi sollicitum quæ leuat, illa manet :
Quòd *Sydnæe* Parens tua dicar Kantia, laudem
A te quæ summæ Nobilitatis habet.

Epitaphium, in quo ipse alloquitur viatorem.

Vixi, & quos habui, exegi mortalitèr Annos.
Et nunc Mole sub hac placida fruor ecce quiete.
Opperiorq; diem, reduces in corpora donec
Rursum ibunt animæ. Mea tunc mutatio fiet.
Membra mea interea corrodat lurida vermis.
Namq; Creaturam, quam fecit *IOVA* Creator,
Corporis exoluet terreno Carcere, Iuxta &
Asseret eximios in libertatis honores.
Progenies sed amata Deo, vt iam libera, fœlix,
Hauriat illibata nouæ noua gaudia vitæ.

Hæc

Hæc animo ſpes fixa meo manet altius hærens,
Quam mihi nulla dies minuet, nulla auferet ętas.

Vxoris ipſius lectiſſimæ fœminæ ad
eundem, Maritum ſuum, ἀναγραμματισμὸς,
Quando licet moriar. κατ᾽ ἀποστροφήν.

VIta mea, ô coniux, mea mors, te pendet ab vno.
Nanq; tui nobis fixus inhæret Amor.
Scilicet orba meo iam Coniuge, viuere poſſum?
Ne viuam, cupiam viuere ſi ſine te.
Et iuuet ergò mori, quoniam ſic viuere fruſtrà
Non iuuat? ipſe Deus ſi iubet ante mori.
Ergò vita mea ô Coniux, te pendet ab vno?
Chare magis vita, dum tua vita, mea.
Ergò mori & cupiam, ſine te quia viuere nolim?
Viuo, ſed moriar, ſi licuiſſe datur.
Induperatoris ſic ſtat ſententia ſummi,
Quando licet, moriar. Non licet ante mori.

Viuo, non morior. Quod facio ergò, licet.

Duorum fratrum ſuperſtitum Roberti,
Militis, & Thomæ Armigeri, ἐπικήδιον.

SIs quoque carminibus noſtris celebratior Heros,
Hac te parte ſequi, qua licet, ecce, iuuat.
Sanguine fraterno coniuncti viximus vna.
Viximus, at fruſtrà viuitur vlterius.
Fata viam lethi inueniunt, vbi ſemper acerbum
Imperium Martis, eſt quoq; Mortis idem.
At raperent nos treis, ſinerent, vel viuere nos treis,
Quàm graue coniunctos diſſociare, fuit?

Apostrophe ad viatorem.

OLim & talis ego, qualis nunc tu eſſe videris:
Olim & tu talis, nunc ego qualis, eris.
Iamq; hominem exutus, viuo tamen, idq; futurum
Vt ſemper poſsim viuere, Ioua dedit.
Nuſquam igitur Morti ſtimulus, victoria nuſquam.
Nam vis in ſanctos non valet vlla viros.

Aliud.

Terra tegit cineres, humus eſt aptata ſepulchro:
Nam quid homo, niſi humus, terra ſepulta, cinis.

Carolus Billus.

Ad Tumulum Guliel. Ianiſii carmen.

SIDNEI dormit Eques, non deſinit eſſe, *Philippus*:
Cum luna *Sydnei*, ſole perennis erit.
Non pietas, virtus, laus inclita, fortia facta,
Nomen, fama, decus, deſinit eſſe. Deum
Talia qui dederat, dare quæ nunc vltima credas?
Hunc vocat ad ſanctos, tollit ad aſtra ſuos.
Pro patria, non in patria, dum militat ardens,
Pro patria moritur, nunc patriaq; iacet.
Sic iacet, vt viuus volet ipſe per ora per auras,
Sic abijſſe putes, ſic obijſſe putes.
Sic finem fœnus, ſic funera munera dicas:
Finis habet fœnus, munera funus habet.

Eiuſdem.

Quod *Sydnei* eſt, ſatis eſt, hoc plus ſatis eſſe φίλιππον,
Vna cui pugna non ſatis vnus Equus.

Et

Et *Sidnei* poterat, poterat supereſſe *Philippus*,
Is niſi plus æquo deſideraret equum.
Sed *Sidnei* ſuperes, viuis, vinciſque *Philippe*;
Vt pius es ſemper, ſic ſupereſque pijs.
Fando huius memoret quis ſingula dona *Philippi*,
Talia vel cum ſint, quis perijſſe putet ?
Hæc damus, & plura hijs, & plurima dona *Philippo*,
Plurima nec ſatis eſt addere, cuncta damus.
Dicam. Digna ſatis quod non eſt terra *Philippo*,
Deſijt eſſe ſolo, dignior eſſe polo.

Eiuſdem.

Tollere honore parant Deus & Regina *Philippum*:
Virgo Dea in terris; tollit ad aſtra Deus.

Guliel. Ianiſius.

In obitum P. Sid. Diui Herois

Mær. S. Mœſtiß. Car.

Cœlum, lux terræ, velamen penſile Ponti,
Pontus rore rigans Cœlos, & gramina terræ,
Terra bibens Pontum, ſtellanti ſuccuba cœlo,
Pendet, ſtat, quatitur, lachrimis, horrore, timore,
Nimboſum, gelidus, trepidans: quia mortuus ILLE
ILLE decus cœli, laus terræ, gloria Ponti.

ILLE (ſed abſorbent ſanctum ſuſpiria nomen)
At ſatis eſt fama, ſancto ſine nomine notus;
Namque erat is ſolus ſolis ſub ſydere, cuius
Par decus eſt cœlo, laus terræ, gloria Ponto.

Si cœlum rutila ſiccaret lampade terram,
Orbis vt innumeris, immenſus faucibus hiſcat,

Et venti validas ſpirarent vndiq́ue voces:
Si cœlum rigidi laxaret vincula Ponti,
Et fierent lachrimæ, vaſtis cum Syrtibus vndæ;
Vocibus & lachrimis, tam diro funere dignis,
Exhauſtæ Syrtes, & tellus rauca careret.

Ergo abit in Siccos cineres, tacitaſque fauillas,
Tam charum diuumque caput? Luctuque carebit?
Quanquam terra tacet tragico convulſa boatu,
Pontus & in lachrimas latices effudit, amaras,
At cœlum ſupereſt, curat quoq́ue funera cœlum,
Funera cœlicolûm ſacro celebranda cothurno.

Ecce nouus lætis ſucceſſit ſedibus hoſpes,
Et mixtus ſuperis Heros: virtutibus orbem
Qui viuus; poſt fata polum ſplendore repleuit.

Iam Lachrimæ Ponti, Terræque recedite voces,
Gaudia nam cœli ſentit *Sidneius* heros.
Ergo nouum ſidus ſalue, tibi vota quotannis,
(Dumq; alij tibi Serta dabunt, tibi ſemper honores,)
Vota dabo tibi certa, pios tibi ſemper amores.

Ed. Chapmannus.

In obitum Ornatiſsimi Equitis D. Philippi Sidnei, Carmen funebre.

ANδρα φιλογνώστην, καθαρὸν, φιλόμουσον, ἄοκνον
Τῆς εὐεργεσίης πάντος ἐπιστάμενον
Λαμπρότατον χριστοῦ φέγγος, καὶ πάτριδος αὐγὴν
Ἔνσημον σοφίης, εἴκονα τῆς ἀρετῆς.

Non te nobilitas generis? Non candida virtus?
Non aliquid te ſpes vlla futura mouet?

Non

Non dolor Anglorum? Non te ſuſpiria Elizæ?
  Squalida non miſeræ coniugis ora mouent?
Non te nobilium lachrimæ? Non vota bonorum?
  Non te Dudlæi vox lachribunda mouet?
Abſtraxiſſe tuas à tanto vulnere vires
  Qui tot vulneribus lædis acerba viros.
Heu Sidneæ, iaces funeſti cauſa doloris
  Sola ſaluſq́; ſoli, ſubſidiumq́ue tui.
Plangamus tenerum lugubri voce *Philippum*
  Ταῖς μούσαισι φίλον καὶ χαρίτεσσι φίλον.
Nunc opus eſt fletu, lachrimas nunc fundite triſtes
  Nunc opus eſt fletu, flende *Philippe* vale.
Linquite Pierides igitur vos linquite ſedes
  Effundant lachrymas lumina veſtra pias.
Nam citò *Sidneum* mors abſtulit inuida vatem
  Εἵνεκα Πιερίδων ἀθανατίντι κλέος
Triſtia fata vetant, annis pubeſcere plenis
  Eſſe ſenem nobis triſtia fata vetant.
O quam læta dies, quam ſœcula fauſta fuere
  Queis nobis pius es nate *Philippe* comes.
Aſt heu quam ſubitò mutantur gaudia luctu
  Dum comitis cineres nobilis oſſa tegunt.
Nunc igitur *Sidnæe* iaces florente iuuenta,
  Nunc iuuenile decus pendula terra tenet.
Sed pia Sidereas mens libera poſsidet ædes
  Alterius regni facta beata comes.
Præmia terrenæ mentes terrena ſequantur
  Diuitias vitæ iam melioris habes:
Ad decus es natus, ſed mors decus abſtulit ingens
  At Deus æternum φῶσque decuſque dedit.
Sidnæi Patris ergo iacet *Sidnæius* hæres
  In noua cælicolûm tecta receptus eques.
φίλτατε vir celebris *Sidnæe Philippe* valeto:
  Sidnæum talem det Deus oro φίλτε.

In obitum præclariſsimi viri D. Phil. Sidnei, carmen H. Farr.

AD Batauos clarus venit *Sidneius* heros :
Ibat in amplexus gens ea tota ſuos.
Scilicet excelſo præſtans quem robore virtus
Extulit, is cunctis gratus adeſſe ſolet.
Aſt patrias gelidus poſtquam remeauit ad oras,
Heu quantis patriam luctibus ille dedit.
Miſerat illa virum nobili quem ſanguine natum
Doctrina illuſtrem fecit, & ingenium.
Quem cunctis fortuna bonis iuuenilibus annis
Auxit, & in valido pectore firma fides.
Excepit reducemq́: quid? Num quem miſerat ante?
Non *Sidnæus* erat, flebile corpus erat.
Ille abijt diuis permixtus : peſſima pars eſt
Quæ manet, in mæſtos nunc abitura rogos.
Inuida fata, ſimul tantis virtutibus vllus
Finibus è noſtris, nec rediturus, eat?
Floruit ornatus *Sidnæus* cur quibus antè
Orbus ad Angligenas nil ferat inde, bonis?
Ergò vale Batauis flende & *Sidnae* Britannis :
Illis, mors nota eſt: his, mage vita fuit.

In eundem.

PAuca querar: mala magna ſtupent, leuiora loquuntur.
Quò miſeros, Quò fata trahent? Nunquamne ſorores
Imperium ponent, tantorum neſcia turba
Regnorum? Magno ſic eripuiſſe tonanti
Sceptra, Deûmque licet contempto numine ab alto
In terras hominumque genus, dare fulmina cœlo?
At te, ſumme pater, te nos humileſque rogamus
Mœſtique: exaudi tandem, & ſuccurre dolori.
Nos tuus in terris populus ſumus: aut tua regna
Imperiumque Dei vel da, iuga nulla feramus.

Heu ſero nimium querimur, te ſerò precamur.
Venit miſſa procul,iam venit ahænea belli
Machina, & infeſto,iam tum irreuocabilis, ictu
Vulnus, & inde breui traxit poſt tempore mortem.
Te vero cuncti meritò *Sidneie*, dolemus
Ereptum patriæq; tuæ, votiſque tuorum :
Non potuiſſe locum tantis virtutibus eſſe
Amplius in terris. Sed vero gaudia cœlum
Plena tibi cumulat, Diuûm iuſtiſsima ſedes,
Et tandem meritis nomen virtutibus æquat:
Hîc reliqua inter eris, prælucens ſydera ſidus :
Nomine mutato paulúm, Cycneia deinceps
Cedet imago tibi, Cycnuſque notabere cœlis.

I. Cowellus.

In obitum illuſtriſs. viri Phil. Sid,

Militis carmen funebre

ANne Deos, anne aſtra vocem crudelia, quæ te
(*Sidneie* Anglorum merito ſpes maxima quondam)
Præpropero extinctum voluerunt funere, triſtem
Materiem horriduli vatis iam carminis eſſe ?
Carminis, egregias animi quod dicere dotes
Sæpe tui voluit ſtupefactum pondere ſæpe
Conſtitit, & cœptum repetens in limine ſiſtit :
Exiguis timuit concludere pellibus illas,
Anglia quas coluit, mirata eſt Gallia, Flandri
Senſerunt nimium, ſi quando abolere vetuſtas
Illarum poterit veſtigia, ſi patiatur
Belgica gens meritam tanti cum funere famam,
Læthœo immergi pelago, condique ſepulchro.
Carminis, in Muſas meritum, tuaq; hoſpita tecta
Quod celebret, ſparſumque ſolum florentibus herbis :
Vnde tibi, Phœbi chorus aſſurrexerit omnis,

Sertaque complicuit capiti frondentia lauri.
Carminis, inuictos animos, hostemque fugatum,
Et quod in Hispanos celebri certamine victos
Gestiret gracili stipula cantasse triumphos.
Carminis incolumem nunc te redijsse Britannis
Quod cantasset Io, si te redijsse Britannis
Fata tuis paterentur, Io nemus omne sonaret.
Eheu quid volui misero mihi? Musa perennes
Soluitur in lachrimas, lachrimisque rigantur obortis
Ora; manus, mens alta stupet, tremor occupat artus;
Et tangunt animum volitantes corde dolores.
Occidit infausto *Sidneius* vulnere? Nymphæ,
Daphnis is est vester; Venus hic tuus ignis Adonis;
Huc Cytherea veni; celeres huc currite nymphæ.
Quin modo fertis opem? Mantilia vestra cruorem
Abstergant fusum; conspergite vulnera cruda
Nectare odorato: si quid medicamina possint,
Tuque ades inuentor medicinæ; sentiat artes
Phœbe tuas, namque ille tuas dilexerat artes.
Iudice te dicam, dare vulnera certior hosti
Nullus erat; nullus, valido vibranda lacerto
Si modo tela forent. Vt tu Pythona sagittis,
Multos ille graues telis sic strauit Iberos.
Nec tibi (pace tua) nec queis dedit vbera quondam
Capra Iouis, latices nec queis gustare dederunt
Fonte Caballino Musæ, nec Atlantide nato
Cessit in ingenuis *Sidneius* artibus: Ergo
Herbarum vires (si sit medicabile vulnus)
Tentes. Cur vultum sinis obscura tenebras?
Eheu quid volui misero mihi? Crura tumescunt;
Tincta venenato Lerneæ sanguine Echidnæ
Est pila; vulnus alit virus; spes nulla salutis.
Saucia Cidnus aquis, succoque siderion herba
Crura foret; tibi sed Cigni (*Sidneie* Cidne)
Cantio cantanda est; nihil hic medicamina prosunt

Ni tu

Ni tu qui baculum ſinuoſis nexibus ambis
Nate Deo meliora dabis, proleſque parentem,
Ni ſuperas: fer opem. Spernunt pia vota maligni
Et pater, & ſoboles. Ne pars ſincera trahatur,
Enſe quid? horretis? membrum ſuccidite totum.
Eheu quid volui? Quis detruncare ſecuri
Pigmalionis opus, vel ſi quid pulchrius eſſe
Creditur in toto qui cælo cingitur orbe,
Suſtineat? Manibus ſic contrectaſſe prophanis
Parcite diuinum corpus: Mens enthea celſas
Iam fugit ad ſedes, & molliter oſſa quieſcunt.
Eheu, quid video? clauduntur membra ſepulchro:
Et tua tot deflent proceres modo funera fletu;
*Marſ*q; ducem deflet; lachrimis Aſtræa patronum
Deflet; & ipſe maris deflet Deus omnibus vndis;
Intonſi deflent montes, laurique myricæ.
Et quis erit modus aut lachrimis, aut laudibus iſtis?
Quilibet in medio luctus præconia laudum
Fundit, & ingrato hæc narrat, minimeque roganti.
Sit quantum generi præclaro lumen ademptum,
Quale decus patriæ, quæ lux virtutibus, & quis
Sit ſtudijs detractus honos, hoc funere noris:
Numina iurares ira irritata nefanda,
Tam egregia pietate virum mortalibus ægris
Eripuiſſe, abitum quo plurima turba ſuperſtes
Lugeat incaſſum. Sublatis tecta columnis,
Quid in prona ruant. Tunicati hic ſermo popelli eſt.
Ergo Deos, anne aſtra magis crudelia dicam?
Bellane deuoueam diris? an *Marte* furentes
Imprecer Hiſpanos? an te Romane Chimera,
Cerbere tergemino ſpolio, Gerionque triformis
Imprecer, immenſum qui in prælia truſeris orbem?
Nec tamen effuſo ſaturantur ſæua cruore
Ilia, nec rebus miſeris miteſcere diſcis.
Aſt ego nec ſuperos poſthac, nec ſydera dicam

Sæua, nec arma magis posthac crudelia dicam:
Hæc etenim regum turres, tugurumque morantur
Pauperis ex æquo: rapiunt cum Cæsare Codrum.
Sed Latij feritas (vix est credibile) monstri
Optima quæque rapit, flammisque voracibus aufert.
Si qua cruentatis Deus eximat vnguibus, illa
Illius exagitant furiæ, pertentat Erynnis,
Bella ciet; sacras, quid non molitur, vt omnes
Præcipites animas Erebi detrudat ad vmbras.
Hoc mihi semper atrox erit execrabile monstrum.
Nec tamen interea miles morietur inultus
Sidneius: nec *Parma* suos ita texit Iberos,
Vt non mille daret lætho *Leycestrius* heros,
Vnius ob mortem: melior tamen omnibus vnus;
Parma nec est tanti; digna si vindicet ira,
Non satis in pœnas foret, aut Hispania tota.
Sed tu desine plura queri mea Musa: repostum
Corpus habet tumulus; soluuntur iusta; quiete
Mens habitat, duplici pensantur funera vita,
Nescia fama mori prima est; vita altera cœli
Gloria. *Sidneius* superisque virisq; superstes.

R. S.

Martis & Mercurii Contentio.

In Obitum Honorandi viri, Pace

Belloq; clarißimi Philippi Sidney.

M*Ercurio* cum *Marte* grauis contentio nata est,
Cuius *Sidneius* sub ditione foret.
Artes *Mercurius*, *Mars* arma potentia iactat,
Mercurius, meus est. *Mars*, meus inquit erit.
Intererat *Pallas*, iuuenisq; accensa decore,
Contestata *Iouem*, talia voce refert:

Mercurius

Mercurius belli, *Mars* inſcius artis habetur,
  Hic vtrumq; tenet, *Pallas* vtroq; valet,
Præmia magna Pater, ſed præmia debita poſco,
  Sit meus hic miles, debet vtrumq; mihi.
Annuit: & tandem, dixit tua vota valebunt,
  Do tibi delicias filia chara tuas.
Mars ardore furens tanto priuatus honore,
  (Ah) rupit vitæ fila *Philippe* tuæ.
Suſtulit exanimem *Pallas* cœloq; locauit,
  Æternaq; dedit conditione frui.
Mars ingrate vale, tanto crudelis alumno,
  Vix tanti *Hiſpanus*, totaq; *Parma* fuit.
Palladias igitur partes quicunque ſequentur,
  Indicent poſt hac bella cruenta tibi.

I. Palmerus.

In obitum illuſtriſſimi Herois Domini Philip. Sydnei carmen funebre.

SI lachrymæ, manes poterant reuocare ſepultos,
  Extinctos, gemitus, ſi reuocare viros:
Triſtia tum quantis rorarent fletibus ora?
  Quamq; darent gemitus, pectora mille, graues?
Nobilis, externis quia Sydney concidit, oris
  Clarus, & obſcuro, læſus ab hoſte, iacet.
Sylua gemit quercu morienti, flumina cygno,
  Et mundus nitido ſole cadente gemit.
Extinctum, nos te, deflemus, nobilis Heros,
  Sol, noſtri, ſolus, clymatis, alter eras
Syluarum quercus, decus eſt, & cygnus aquarum
  Et tu muſarum, gloria ſumma nouem.
Tu Martis clarus, clarus tu laudibus artis,
  Et Marti, & Muſis, triſte cadauer ades.
Te Muſæ cæſum deflent *Sydneia* proles,

Funere, *Marsq;* tuo lumina sæua rigat.
Hostem, te luget vel gens inimica, peremptum.
Parma, dedit gemitum te moriente potens:
Quid multis vtar? te tota Brytannia luget,
Phænicem, Phænix *Elizabetha*, dolet
Cumq; satis nullus decoret tua funera fletus,
Nec nimis esse potest, quod satis esse nequit,
Plangamus palmas lachrymarum flumina manent
Sitq; tuæ mortis tristis & atra dies.

In eundem.

QVale hominum genus est, rogitas, hæc percipe, & audi,
Gens hominum folijs respondet fluxa caducis.
Sunt quæ fundit humi ventus. Sunt altera, sylua
Quæ reparata nouat redeuntis tempore Veris.
Sic homines oriuntur & hij perimuntur & illi.
Qualiter in Syluis Arbos modò frigore duro
Tonsa comam, nudos populatis frondibus armos
Iactat iners, quasi vis nulla in radicibus imis,
Seminaue aruerint Boreæ implacabilis irâ.
Et modò læta nouo reuirescens germine, florem
Induitur nitidum, lateq; superbit ab vmbrâ.
Scilicet interitus nunc hos nunc excipit ortus.
Interitus breuis est, ortus breuis. Vtq; caduco
Flore renidescens fænum, sic corpus inaret.
Vna eademq; vices fortunæ temperat hora
Nam quæ stare putes longum constantia, motu
Ecce dabant tremefacta suo, retroq; referri.
Nusquam tuta, vides subito, collapsaq; sero
Sed reparat non vlla dies. Deus ipse fatigat
Tempora, & horarum librat momenta, nec vlli

Viuere

Viuere fas vltra præſcripti temporis horam.
O ergo malè ſtultorum mens credula fruſtrà
Spes fragiles, curæq; leues, & inania veri
Pectora. Sic iuuat indulgere fugacibus horis.

Carolus Billus.

Tetraſticon.

HIc venit ; ille venit, cupit omnis & eſſe Poëta.
Conueniens, veniens nemo Poëta canit.
Arma virumq; canat, tum ſic canat ille *Philippum*
Nec canat is *Sydney*, ni canat Arma virum.

Eſſe φίλιππον, & eſſe *Philippum*, vt differat audi,
Ille φίλιππος erat non eſt ergo ille *Philippus*
Sunt tenebræ terris lux aucta eſt lumine cœlis,
Scito nouum, ſplendens *Sydney* inter ſydera, ſydus

Guliel: Ieamſius.

In obitum dignisſimi Equitis *Philippi Sidnæi.*

CVm Sydnæe ſatis tua tot monumenta loquuntur,
Nil opus eſt laudes me memorare tuas.
Has Anglis referam ? Satis hi videre. Remotis ?
His tua quam nobis cognita fama magis.

Iamne decet? Per ſe poſt mortem viuida virtus.
An pro more loquar? Non ſinit ipſe dolor.
Corda dolore ſtupent, nec iam pro more loquendum,
Neſcio quid noua res poſtulat iſta nouum.
Tene canam pietate grauem virtutibus auctum,
Doctrina excultum? Nil niſi nota canam,
Et miſeranda ſimul. Quid triſtia damna reuoluo?
Infandos luctus quid renouare iuuat?
Nec mea Muſa ducem capit exanimata potentem,
Nec mea liberius fracta dolore fluit.
Officioſa tamen fert hæc ſcripſiſſe voluntas,
Da Deus huic vera nobilitate pares.

Milo Sandes.

In eundem.

O Belgis deflende, tuis ô flende Britannis,
Vnica ſpes aulæ, flende(*Philippe*) iaces.
Dic mihi, quid Marti cum Muſis? (chare *Philippe*)
Pugnat pro Patria mens generoſa, ſtudens.
Tam *Marti* quam *Mercurio* ſententia fallax,
Ni foris informent, arma togata domi.
Armatam, ſed non pugnantem *Pallada* fingunt,
Pugnat nempe ſedens, ægide conſilij.
Eheu quam doleo, tibi quod (clariſsime *Sydney*)
Æqua domi *Pallas*, *Pallas* iniqua foris.

Georgius Drywood.

In obitum nobiliſſimi clariſſimique viri Domini Philippi Sydneij Militis, carmen funebre.

VBera Diua tibi *Sydneie* vulnera cautes
dura dedit: Fati ſic rotat omne bonum.

En

En carmentis ait ſpes meſſis ſurgit in herba,
Ni perit abruptus flos perimente manu.
Anglia ſubriſit pariens, *Mars* belliger infit,
accelerat fatum Belgia, ſclopa rapit.
Belgia poſcit opem: *Sydneium* Belgia poſcis?
Vix Priamus tanti totaq; Troia fuit.
Fata iubent darier, ſolum petit *Hector Achillem*
Annue mœſta *Thetis*, laurea *Parca* dabit.
Lauros *Parca* dabit? quaſi compenſanda triumphis
Eſſet vita Ducis, quo minor omnis honos.
Pone *Theti* lachrimas: magni conſtabit Ibero
Iuſta ſemel gnato perſoluiſſe tuo.
Terra tegit corpus κρατεει γης μεν ὀλύμπου
Diuiſum imperium cum Ioue gnatus habet.

Thomas Vuiat.

In obitum nobiliſſimi Herois Domini Philippi Sydney.

INnumeri deſunt homines. Non curo: ſed vnum
Nobile *Sydnæi* pectus abeſſe queror.
Mors rapuit violenta. Quid eſt? date, ferte machæram,
Vltrices faxo ſentiat illa manus.
Tollere plebeios, generoſæ parcere ſtirpi
Debuit, ingenuos ferre, ferire rudes.
Si cineres poſſent ſimilem producere prolem,
Vel ſi terra daret noſtra vel vlla parem,
Si læſiſſet eum, ſaluis virtutibus, eſſet
Culpa minor morti, mitior ira mihi.
Sed quia cum virtute virum cum milite vires,
Artes cum cerebro perdidit, vltor ero.
Aſt iræ flammas extinctas imbre doloris
Sentio, dum lachrymis dat cataracta viam.
Nec mirum, calamo lugente, gemente papyro,

D Suſpi-

Suſpirante meo carmine, flente manu.
Ipſa baliſta dolet percuſſum femur, & ipſam
Fortunam facti pœnituiſſe reor.
Eccam incedentem lugubri veſte, fatentem
Imprudens facinus. Parcite. Cœca fuit.
Sed ſi vidiſſet, credo, abſtinuiſſet ab ictu,
Nec mactaſſet eum quem tetigiſſe nefas.
Quid querimur? Flendum eſt, punitos morte ſceleſtos
Vel morbo extinctos. Neſcin? Hic arma tulit.
Arma tulere necem. Sic ſic decet ire ſub vmbras.
Magnanimis mortem *Parma* vel arma dabunt.
Vitam pace leue eſt, melius deponere bello,
Heros vulneribus, febre colonus obit.
Immunes nulli, campo vel in vrbe cadendum.
Communis ſors eſt, nullibi fata fauent.
At tibi fata fauent, tibi *Mars* inimicus amicus,
O decus Anglorum, non pereundo peris.
Mars te donauit non marceſcente corona.
Mors immortalem fecit, ad aſtra vehens.
Corporis extinxit vitam, ſed nominis auxit.
Quis non optaret ſic moriendo mori?

Iohannes Beauchampe.

In obitum clariſſimi viri D. Philippi
Sidnei Militis, qui ex vulnere, quod pro *Chriſti Eccleſia pugnans accepit, mortuus eſt, Epitaphium.*

ANglia *Sydneo*, præclaro patria cive,
Lumine nobilitas eſt ſpoliata ſuo.
Funere tam chari dolet alma Eccleſia nati,
Et Mæcenatis natio docta ſui.
Patria, nobilitas, Eccleſia, natio docta
Dum mœrent, damnis illachrimantq; ſuis,

Iucundam

Iucundam dulci perpeſſum ex vulnere mortem,
  Pro Chriſto, cœli regia celſa capit.

Thomas Harryſon.

In obitum nobiliſsimi clariſſimiq; Herois
D. Philippi Sydneij equitis aurati.

CVi Dea naſcenti præſto lucina manebat,
  Cui nato admôrunt charites, atque vbera Muſæ,
Cui ſua magnus *Apollo* dedit, ſua *Iuno*, *Venusq;*
Symbola certatim dederant; huic munera *Pallas*
Dum geminata parat, geminato munere perdit.
Quippe vt vtroq; ſuum *Sydneium* illuſtret honore,
Vult Muſis Martem, vult ægida iungat olivæ,
Omnia dum dare vult, rapit heû rapit omnia habentem.

R. Nanton.

In eundem.

QVid vita? eſt fragilis, quid forma? eſt fluxa, quid aurum?
  Eſt liquidum, quid homo? eſt ventus, & aura leuis.
Ergo quid eſt certum? mors rerum certa ruina,
  Imperio cuius, cuncta parere patet.
Quam velle effugere, eſt ſtultum, quam velle timere,
  Eſt miſerum, ſolus, ſola medela, Deus.
Flebilis amiſſum quid defles Angle *Philippum*?
  Nec prece, nec pretio, Parca remittet eum.
Nec mirum, ſupereſt ſplendenti ſplendida ſedes,
  Terra parum ſplendet, poſsidet ergo polum.

Hac quiſquis tranſis, iacet hic *Sidneius* heros.
  Qui decus Anglorum, deliciæq; fuit.
Dux modò clarus erat, iam præbet vermibus eſcam:
  Et redit in cineres, qui fuit Ante cinis.

Ne viuas igitur mundo, ſit mens tua munda,
   Viuere nolle diu, viuere velle Deo eſt.
Dum verum vitæ præfert pietatis amorem,
   Martis agens cauſam, morte peremptus obit.

In obitum nobiliſſimi viri & modis omnibus generoſiſſimi Philippi Sydnei equitis aurati.

MAllem *Hiſpana* ſuum lugeret terra *Philippum*,
   Auriflui & lachrymis creſceret vnda Tagi:
Anglica quàm noſtrum telluſq; atq; vnda *Philippum*
   Fleret, & aſsiduis ora rigaret aquis.
Dijs aliter viſum, verum fœlicior ille
   Mutauit dubijs gaudia certa bonis.

R. W.

In obitum illuſtriſſimi Herois D. Phil. Sydnei carmen funebre.

SI lachrymæ, manes poterant reuocare ſepultos,
   Extinctos gemitus ſi reuocare viros,
Triſtia tum quantis rorarent fletibus ora,
   Quàmq; darent gemitus pectora mille graues?
In lachrymas vaſti vertentur flumina ponti,
   Humidus in lachrimas verſus & æther erit,
In lachrymas marmor durum vertetur amaras,
   Et fieret lachrimæ quicquid in orbe manet:
Nobilis externis quia *Sydney* concidit oris,
   Clarus, & obſcuro læſus ab hoſte iacet.
Sylua gemit quercu morienti, flumina cigno,
   Et mundus nitido ſole cadente gemit:
Extinctum nos te deflemus nobilis Heros,
   Sol noſtri ſolus clymatis alter eras.

Sylua-

Syluarum quercus decus est & cignus aquarum,
Et tu Musarum gloria sola nouem.
Tu *Martis* clarus, clarus tu laudibus artis,
Et Marti & Musis triste cadauer ades.
Te Musæ cæsum deflent *Sidneia* proles
Funere Marsque tuo lumina sæua rigat.
Hostem te luget vel gens inimica peremptum
Parma dedit gemitum te moriente potens.
Quid multis vtar ? te tota Britannia luget,
Phœnicem Phœnix ELIZABETHA dolet.
Cumque satis nullus decoret tua funera fletus,
(Nec minus esse potest quod satis esse nequit)
Plangamus palmas, lachrimarum flumina manent,
Sitque tuæ mortis tristis & atra dies.

Roger Morrell.

In eundem.

NOn hæc discedens patriæ promissa dedisti,
Cum te è complexu mitteret illa suo.
Illa tuam benè quæ virtutem norat in armis,
Cautè pugnares sollicitè rogitat.
Te studium infœlix laudisque arrecta Cupido
Intrepidum Hispanos extulit in medios.
Non meminisse domi saluum te quanta manebat
Spes, quantum decus, & gloria, quantus honos ?

Eiusdem in Eundem.

INuidisse Deos hanc virtutemque virumque
Nobis, qui tantam spem frustra cepimus ? O nos
Fœlices nimium propria hæc si dona fuissent
Nunc tantum hunc Anglis ostendunt fata, neq; vltra
Esse sinunt : ecquis quicquam tam vidit acerbum ?

In mortem Honoratissimi Equitis Philippi Sidnei.

ET *Marti* & Musis natus fortissimus Heros,
Spes Patriæ, puræ religionis honos,
Quem Comes hæredem geminus liquisset ovantem:
Occidit. ô diræ flebile mortis opus.
Sed quæ non potuit terris, ea cœlicus hæres
Possidet: & Christi fulget honore sui.

In obitum Nobilissimi viri Domini Philippi Sidney, Equitis aurati Epicedium.

SIDNEIVS patriæ sydus, cui Laurea prima
Et belli & pacis debita, morte iacet.
Ah iacet ingenio florens, florentior armis,
Ah iacet Hesperiæ splendida stella plagæ.
Splendida stella iacet, similem cui nulla dederunt
Sœcula, vel similem sœcula nulla dabunt.
Stirpe satus summa, Musarum & *Martis* alumnus,
Doctrinæ & morum gloria, lumen, honos.
Nunc tamen interijt: moriturus talia fatur,
Mors optata veni, vita caduca vale.

Ioannes Boylus.

In obitum Nobilissimi viri, & modis omnibus generosissimi, Domini Philippi Sidney Equitis aurati Epicedium.

LVbrica continuis agitatur motibus ætas,
Atque statum variè mutat, vt vmbra locum.

Omnia

Omnia mutantur, rerum diſcrimina mille,
  Mille vices rerum, perpetuumque nihil.
Ver viret inprimis, ſequitur feruentior æſtas,
  Poſt venit autumnus, mox glacialis hiems.
Sic ſua quemque diem ſequitur, nox proxima, nocti
  Inſidet alma dies, ſic fugit hora breuis.
Sic aditus rerum, ſic imminet exitus: eſtque
  Sic vitæ cunctis tempus, & hora necis.
Omnia ſic abeunt: ſic tranſit gloria mundi.
  Sic nihil eſt firmum, ſic ſine fine nihil.
Qui fuit hic non eſt, merito digniſsimus annis
  Neſtoreis, verum viuere fata negant.
Viuere fata negant: mors imminet omnibus hoſtis,
  Nec vis, nec virtus hanc cohibere poteſt.
Ecce iacet primo correptus flore iuuentæ
  Sidneius patriæ ſidus, & vna ſalus,
Qui pius, & prudens, & cum ratione diſertus,
  Et grauis, & mira cum probitate bonus.
Quemque fides, comitas, vires, facundia, forma,
  Et pudor, & virtus ſunt comitata ſimul.
Adde, quod eſt claro maiorum ſtemmate clarus,
  Et clarus clara coniuge, prole, domo.
Nil minus at moritur: ſua funera quemque morantur:
  Sic fortuna diu ſiſtere nulla poteſt.
Sic genus & ſanguis mortis cohibere ferocis
  Heu nimium rigidas non potuere manus.
Sed patriæ vt magno vixit, dum vixit, honore,
  Sic patriæ ſummo concidit ecce malo,
Dumq; propinquorum, noſtræ, Chriſtiq; ſaluti
  Inſeruire cupit, vis inimica premit,
Sic vitam optata concluſit morte beatam,
  Cuius in æternum fama ſuperſtes erit.
Sic viſum eſt illi vitam pro morte paciſci,
  Sic mihi contingat viuere, ſicque mori.

Ioannes Boylus.

In Eundem.

ERgóne quæ rapiunt mortalia fila ſorores
Tam dirum potuiſſe nefas auſaſq; putandum eſt?
Nec vos tanta viri virtus, nec plurima magni
Surgentis ſpes grata ducis, nec plurima ſancti
Relligio, pietaſque viri ſincera mouebant?
Sed neque doctarum valuit pia cura ſororum?
Quòd ſi tanta feras non flectunt ſingula mentes
Flectere tanta feras potuerunt omnia mentes.
Ah vbi nunc medicina potens, herbæque ſalubres.
Quarum ope bis vixit ſuperas reuocatus ad auras
Fraude nouercali patre iraſcente peremptus?
Sed nec opus lachrymis, nec curant talia Parcæ:
Nec lachrymis parcæ, liquidis nec gramina rivis
Nec cityſo paſcuntur apes, nec fronde capellæ.
Occidit ingenium, pietas, ſapientia, virtus,
Fama Poëtarum *Sidneius*, gloria Phœbi
Occidit; vna manus tot nomina chara peremit.
Ille tamen fœlix inuita morte ſuperſtes
Viuit, & extremo mundus cum corruet igni,
Optima dante Deo pietatis prœmia tollet.

In Eundem.

SI poſſent lachrimis reuocari fata *Philippi*,
Sidnæi, lachrymis viueret ille meis.
Sed quem non lachrymis fas eſt reuocarier vllis,
Fas mihi carminibus ſit coluiſſe meis.
Huncq; precor liceat noſtris celebrare camœnis,
Cuius in exequijs Anglia tota gemit.

In obitum optimi ac præclarißimi iuuenis, Philippi Sidnæi Equitis aurati, qui in Zutphensi prælio (quod nuper ad Iselam commißum est inter Anglos & Hispanos) glande sulphurea ictus interijt.

Ægid. Fletcher.

IAm tua *Martis* opus spirabat & ardua, virtus,
Magnanimi proles generosa (*Philippe*) parentis
Iamque per afflictos peregrino milite Belgas
Militiæ documenta dabas, vbi Zutphenis arua
Alluit irriguo decurrens Isela fluctu:
Cum te sacra, deum, populos, ius, fasque tuentem,
Magnanimosq; duces, & fortia facta sequutum,
Heroum (dum prima vocas in prælia *Martem*
Acer, & heu fortis nimium in tua fata ruebas)
Machina sulphureâ traiectum glande peremit.
Ergò tua pariter deflent in cæde peremptas
Spes (*Sidneie*) suas, pietas, prudentia, virtus
Bellica, & immotæ custos Constantia mentis,
Et qui nec falli potuit, neque fallere prudens
Candor, & elatam submissa Modestia sortem
Quæ regit, inq; tuo deflent sua funera busto.
Te belli, pacisque decus (generose *Philippe*,)
Et belli pacisque duces, plebs omnis, & omnis
Nobilitas, Equitesque gemunt, te iussa sequutum
Principis, ipsa dolet Princeps. Nec patria tantûm
Sed locus omnis, & omne solum: te Belgia luget
Funeris (heu) fatale solum, te *SCOTIA*, tellus
Itala, Teutonicæ gentes, te *Gallia* deflet.
Et nisi (sæua licét) sit se crudelior, author
Funeris ipsa tuum iam deflet *Iberia* funus.
Nec tantúm populi; loca sacra, prophana peremptum
Templa, forum luget, rus, curia, castra, Licæum.

Templa pium, fortemque acies, gymnaſia doctum,
Aula comem, rus munificum, lex publica iuſtum.
Te belli paciſque decus (generoſe *Philippe*)
Ipſa adeò belli, paciſque inſignia deflent.
Haſta, libri, calamus, tuba, currus, ephippia, circus
Hippodromus, quo primus equos inferre ſolebas
Impiger, & longâ concurrere fortiter haſtâ.
Inque vicem belli fingens ſimulachra ſub armis,
Flectere quadrupedis circo ſpumantis habenas:
Deniq́ue quicquid erat generoſum, & amabile, deflet
Et te ſeque tuo confoſſum vulnere, ſolus
Te decus ereptum terris, belloque peremptum,
Non moriens, æternum, & non mutabile mentis
Hoſpitium, ſedeſque tuæ lætatur Olympus.

In obitum illuſtriſsimi Equitis, D. Philippi Sidnei, Carmen funebre.

NVper ego mecum volvebam pectore, virtus
Cur adeò ſemper prole ſit orba ſua.
Quum videam quam ſit quauis fœcundior hydra
Nequitia, & ſæclis vix moritura nouem.
Viuit inops mentis ſine re, ſine ſpeq́ue, profanus:
Prodigus: & miſerè turpis amator opum,
Deniq́ue quos nihilum ſe vel te vita iuuabit
Illis Neſtoreos cur datur eſſe dies?
Hæc mihi volventi vulgaris reddita cauſa eſt:
Omne ſibi ſimile ens ſuſtinet atque fouet.
Id puto, nimirum quibus eſt mens terrea tota
Vt ſibi cognatos terra propinqua tenet.
At quibus eſt animus cœleſti ſemine natus
Sublimes illos nobile ſydus agit.
Illic vbi æternam foueant cum pace quietem
Quo terrena mali fæx penetrare nequit.

Inclyte

Inclite tu quorum numero *Sidneie* fuiſti
Quem ſibi gens demptum tota Britanna dolet:
Immo ſincero luget mihi credito planctu
Et reſonat laudes hæc tua terra tuas.

In obitum viri nobiliſsimi, & modis omnibus generoſiſsimi Ph. Sid. equitis aurati, Carmen.

ANglia cur nitido poſito velamine, veſte
Pullat in atrata, dilaniata comas?
Scilicet occubuit ſed non periturus in æuum,
Angliaci nuper gloria magna ſoli.
Quis fuit an quæris? Muſarum & *Martis* alumnus.
Lector cælato nomine nomen habes.

Tho. Ieniſon.

In obitum Nobiliſsimi viri, & modis omnibus generoſiſsimi, Philippi Sidnai, Equitis Aurati, Carmen.

O *Came*, o *Thameſis*, poſitæque in vtriſque Camœnæ
Lugete, & mæſtos ingeminate ſonos:
Principem Apollineas inter primumque choreas
Sidnæum, è ſacro mors habet atra choro.
Scilicet igniuomus ferrato fulmine *Mauors*
Amplexu rapuit, maxima Palla, tuo
O *Came*, ô *Thameſis*, poſitæque in vtriſque Camœnæ
Flete, immaturam carmine flete necem.

G. Chace.

In obitum clariſsimi viri, Philippi Sidnæi Equitis Aurati,

ANglia quid luctum differs, lachrimasque recusas?
Anglia, cui perijt naturæ gemmea proles,
Gloria *Dudleiæ, Sidneia* gloria gentis.
Fata fauent nulli, cuiquam si fata fauissent,
Tu flendus nullis, (ô cunctis flende,) fuisses.
Fata fauent nulli, doctrinæ lumen ademit
Hostis, sulphureum quem vellem fulmen ademat.
Anglia eligiacas quid parcis fundere voces?

Christ. Brookes.

De obitu ornatissimi equitis, P. Sidnei.

CVr quia dignus eras quem nos superesse precemur
Fingimus immites in tua fata Deos?
Nec quia dignus eras, qui Dijs petereris ab ipsis
Credimus indignos te magis esse viros?
Magne, nepos procerum, prisci quoq; sanguinis hæres
Cui stat ab antiqua resque decusque domo:
Quid mirum est si te totum non cernimus æuum?
Nullus in his potuit *Iuppiter* esse locis.

In Eundem.

LVbrica labantis decurrunt tempora vitæ,
Mobilis & tacito volvitur hora pede.
O quid non miserum? pereunt mortalia quæque,
Nos miseros miserè terra Misella tulit.
Aurum quid iactes? quid formam? quidue decorum?
Vel quid magnorum splendida gesta virûm?
Tempus erit, quando celeri velocius Euro,
Aurum; forma, decus, splendida gesta ruent.
Si petis exemplum, præstò est *Sidneius* heros,

Troiu-

Troiugenûm ſplendor, gloria, fama, decus.
Cuius mens ſummi ſubijt penetralia cœli
Corpus at exanimum contegit vrna breuis.

In obitum nobiliſſimi viri equitis illuſtriſſimi Philippi Sydnei.

GAudia blanda valete, venite, venite dolores,
Irriget omnigenas lachryma multa genas.
In ſalſas mihi lumen vtrumq; reſoluere guttas,
Corq; columbino more gemiſce meum.
Occubuit nuper, quo viuo viuida virtus,
Quo moriente ſimul mortua viſa fuit:
Nobilium Cynoſura, magis *Mars Marte* vel ipſo,
Clara cerebrigenæ in palmite gemma deæ.
Muſarum fotor, charitum quoque fautor, & author,
Mortem *Mars*, *Pallas*, gratia, Muſa dole.

In eundem.

MEmbris, mente bonus, totus bonus ergo *Philippus*
Iam moritur? quò tandem tenditis aſpera fata?
Erras. non moritur *Sydnæus*, Muſa negarit;
Hunc, cui terra parem, *Sydnæum*, quove priorem
Haud cœli videre, mori vetuere Deæq;
Dijq; omnes: pietas, virtus & Muſa negarûnt.
Inuidus (opinor) Deus eſt: (noui) eſt Dea certè
Inuida Fors forti: terris ſua ſydera ſemper
Inuidet: illa bonis ſemper mala, ſemper iniqua.
Semper iniqua? tace. fuit æqua: dedit ſua cœlis
Semina. terra teres non eſt ſatis, I pete cœlum
Mens dia, terra teres non eſt ſatis, I pede fauſtò,

Sydnæus mens est *Sydnæi*, mens fuit ille
Totus, tota manet mens, & Iove non minor ipso
Magna viget mens *Sydnæi*, Iovis incrementum.
Altera pars elementum est, vermibus est alimentum:
Stabit perpetuò pars altera, gloria cuius
Partis, honor terris æternus, terror abactis
Hostibus, æternum nomen sine fine parauit.
En vegetat mens *Sydnæi*! quæ dum viget, ipsa
Gens *Sydnæa* viget, vegetat sine finc perennis
Gentis honos: nomen, decus hic sine fine parauit.
Erras. *Sydnæus* moritur minus; ecce triumphos
In cœlis agitat *Sydnæus*, gratus Olympo
Venit, se meritis non gratîs æquat Olympo.
Vnicus in cœlo *Sydnæus*, nullus in orbe,
Nullus in vrbe locus, qui Sydere tale relucet.
Cœlicolæ & cœli plaudant, applaudat & ipsis
Sydnæus cœlis: plangat locus orbis & vrbis
Vnusquisq;, manet quia Sydere nullus in orbe
Nullus in vrbe locus *Sydnæo* tale relucens.

In obitum præclarissimi Equitis
Philippi Sydneij carmen.

DEcrescunt vires, vanescit forma venusta,
  Et phrygij pereunt aurea regna Midæ.
Tempus edax rerum, rabido vorat omnia morsu,
  Nec fugiat quicquam, spicula dira necis.
Ecce vices rerum, sic transit gloria mundi,
  Iam cinis est tenuis, qui modo summus erat.
Quo decus, heu nostrum, quo tristia fata vocastis?
  Heu quo *Sydneium*? quo rapuistis eum?
Non equidem ad cineres, sed ad alti tecta tonantis.
  Est vbi cœlicolûm tota caterua Deûm.
Angle quid es tristis? gemitus quid fundis inanes?
  Sydneium capiunt cœlica regna tuum.

In obitum nobilissimi viri & omnibus modis decoratissimi Philippi Sydneij.

SAt, Sydneie, tibi, non patriæ sat est
victum; tu celeri vectus ades gradu,
Tangens summa citò, culmina gloriæ;
Tardè quò veniunt pigri.
Tu, ne vita tuis addat honoribus
Plus iusto, moreris: nec statui modus
Virtuti poterat, mors nisi terminos
Vitæ fecerat inuida.
Nunc desiderio, tu patriæ iaces:
Maturamq; nimis patria flet tuam
Virtutem; cineres, ecce dolentium
Nostris vt lachrymis madent!

Danielis Naileri.

In obitum nobilissimi viri & modis omnibus generosissimi Domini Philippi *Sydnei equitis aurati carmen funebre.*

NVmina progeniem tria sic iurastis in vnam,
Nullus vt è patrio linquatur sanguine natus?
Nonne satis fuerat morientia lumina patris
Clauderet vt natus, premeret quin patria nati?
Tantæ inter superas (si fas est dicere) mentes
Sæuitiæ regnant? si doctos quæritis: illa,
Illa tulit varios vobis antiquior ætas:
Si cupitis fortes, rapuistis vos quoq; fortes.
Si modo prudentes, te te Bacone tulerunt
Si patriæ fidos abijt *Bedfordius* heros,
Atque parens huius quo non fidentior alter.

Sed

Sed iam cerno (licebit enim præſagier iſtud)
Cur ſibi *Sydneium* Parcæ rapuere *Philippum.*
Quippe quod a multis habueruut, hic dedit vnus :
Nempe, fides, virtus, prudentia, *Pallas* in eius
Atque omnes placido ſederunt pectore Muſæ.
Hunc igitur ternæ dum ſpectauere ſorores
Inter ita in terris mortales degere, ſecum
Talia fatidico cæperunt numine fari.
Dignior eſt iſtis quàm qui, *Sydneius* in oris
Viueret, æternas ergo rapiamus ad auras.
Talia dum volvunt Chotho Lacheſisq; : repente
Atropos abrupit *Sydnei* fila *Philippi.*
Abrupit fateor ſed tali funere, quali
Non eſt nobilius non conuenientius vlli.
Cæſus enim patrijs cecidit vir fortis in armis,
Donec in *Hiſpanum* veheretur acerbius hoſtem.
O mors digna viro, virtus hac dignaq; morte.
Sed graue ſit damnum, nulloq; ſilebitur æuo :
Quod tulit occiſo Britannica terra *Philippo.*
Anglia te deflet, te deflet Flandria cæſum
Induperatorem, deflent iuueneſq; ſeneſq; :
Flenſq; ego funeſto canerem te carmine, flentem
Me niſi corriperet tua tanta in pectore virtus.
Quando igitur ſuperas duce patre ſubiueris oras,
Cùm nequeo in terris, te te venerabor in aſtris.

H. Tredwey.

In eundem.

CVm mauorte truces conſpirauere ſorores,
Vt quos non poſſent tollere, marte cadant.
Quem tù dum ſequeris (crudelibus inuide fatis)
Occidis, heu, patriæ flende *Philippe tua.*
Nec genus, aut virtus, nec flectere forma, nec ætas,

Cunctaq;

Cunctaq; , sanguineas iam potuere manus.
Sydus eras *Sydnæ* : tui te lumine cassum
Flent, nuper sæcli spesq; decusq; tui.

R. Gostwyke.

In obitum nobilissimi clarissimique viri Philippi Sidnei: Hexasticum.

LVgebant Priamum planxerunt *Hectora* Troes:
Anglorum perijt, plangite turba, decus.
Nobilis & fortis, diuûm *Sydnæus* amator.
Saucius indigno vulnere, triste, iacet.
Terra cadauer habet, mens sedem possidet altam,
Mortuus, & tamen est nescius ipse mori.

G. Smyth.

In obitum illustrissimi Comitis Philippi Sydnei qui pro Patria viriliter decertans *efflauit animam.*

DVm ferit *Hispanos*, truculenti more leonis,
Hostilesq; manus ab amicis mænibus arcet,
Missilibus citroq; vltroq; volantibus, inter,
Et per vtrasq; acies, cecidit *Sydneius* heros.
Sic Patriæ vitam, diuûmq; sacrauit honori,
Et victrix, mens alma, domos conscendit Olympi.

I. Becon.

In obitum illustrissimi viri, Philippi Sydneij, Equitis aurati.

MArtia *Sydneium* deploret turba peremptum,
Defleat amissum martia turba Ducem.

Magnanimi Heroes lethalia plangite clari
  Vulnera *Sydneij*, plangite magnanimi.
Sydera ſumma petant, placidæ vos pacis alumni,
  Clamores veſtri, ſydera ſumma petant:
Mortuus ecce iacet pacis patronus amœnæ
  Sydneius fortis, mortuus ecce iacet.
Tollat ad aſtra ſuos doctorum turba virorum
  Triſtis plangores, tollat ad aſtra ſuos.
Mors inopina tulit, ſacras qui calluit artes,
  Sydneium ex terris mors inopina tulit:
Dignus erat, doctus quem auſcultet *Apollo* docentem,
  Dignus, quem diſcens Diua *Minerua* petat.
Plangite *Pierides*, coluit qui numina veſtra,
  Sydneius perijt, plangite *Pierides*.
O generoſa cohors, Maiorum ſanguine clara,
  Duc gemitus magnos, ô generoſa cohors.
Vermibus eſca iacet, quondam præclarus auitis
  Sydneius proauis, vermibus eſca iacet.
Spernite ſtultitiam moniti hinc, nec credite rebus
  Terrenis nimium, ſpernite ſtultitiam.
Gloria veſtra cadat, fumos nec iactet inanes
  Quis veſtrum ſtultè, gloria veſtra cadat.
Nil etenim diadema valet, nil ſtemmata proſunt,
  Nil turres, faſces, nil pia ſceptra valent.
Nil prodeſt vobis præclarus ſanguinis ortus,
  Nil vel tecta valent æmula ſyderibus.
Conditione pari, nam mors eſt omnibus æqua,
  Decedunt omnes, conditione pari.
Non etenim tales, quas texit aranea telas,
  Mors texit, mortis retia, cuncta tenent.
En vobis ſpeculum: putris iam puluis & vmbra
  Sydneius, cui nil defuit, ecce iacet.
Quid? iacet an *Sydney*, cecidit quia vulnere corpus
  Transfixum ſæuo, mortuus annè iacet?
Non perijt *Sydnei*: plumbo penetrabile tantum

Corpus

Corpus erat: virtus non moritura manet.
Gloria clara viget: Mens viuit in Æthere ſummo
Candida Sydneij: cætera mundus habet.

Henricus Legthus.

In præmaturum obitum, clariſsimi Equitis Philippi Sydnei.

ET tria caſtalidas potuerunt fata novenas
Vincere? nec potis eſt addere *Phæbus* opem?
Siccine (*Phæbe*) tuum vinci patiare *Philippum*?
Maiori virtus digna fauore fuit.
Anne tibi medicæ traduntur inanitèr herbæ;
Aut tuus in terris otia nervus agit?
Quid rear? Ille tuas coluit non ſegniter artes,
Atque pius, veluti debuit eſſe, fuit.
Magnus, *Muſarum* vindex, gentiſq; Brytannæ
Spes erat, & noſtri gloria magna ſoli.
Nec tua laus (iuuenum ſplendor) diffuſa per orbem
Fruſtrà eſſet, ſi non tu decus orbis eras.
Sed bene res ceſsit. Quod Mors detraxit ab annis,
Id tibi cum magno fœnore, reddet honos.
Ecquid enim deſint doctorum ſcripta virorum,
Cum patet in laudes area, tanta tuas?

G. Hariſon.

In obitum nobiliſsimi herois D. Philippi Sydneij. Hexaſtichon.

ANglia me genuit, rapuit me Belgica tellus.
Liqui animam Chriſto, putre cadauer humo.
Hùc mea fata vocant: hæc ſunt decreta dearum;
Puluere natus eram, puluere victus eram.

Hoſtes dum ferio, feriunt me vulnera mortis,
  Cuius ad arbitrium, ſtat decus omne ducum.

Ger. Goulſtone.

In obitum nobiliſſimi viri & modis omnibus generoſiſsimi Philippi Sydnej equitis aurati carmen.

FVnera ſi teneri plorauit Naſo Tibulli,
  Fleuit *Achillæam*, ſi *Thetis* alma necem;
Ite per incertas, quò vos *Sydneia* vocabunt,
  Fata vias *Muſæ*; nec niſi fata vocant.
Nolo meis vagiat cunis temeraria proles,
  Si modò maturæ gratia maior erit.
Quòd ſi immatura tegitur *Sydneius* vrna,
  Non immaturo, contigit vrna viro.
Scilicet omnigena maturè adoleuerat arte,
  Et benè matura relligione fuit.
Quattuor incluſas aluit ſub pectore gentes,
  Adde quod Angliaci, pars fuit vna ſoli.
Quattuor ordinibus diſtinctos, vnus in vno
  Iunxiſſet viuens corpore, ſede, gradu.
Fœlix ô ſi longa dies, ſi iuſta dediſſent
  Natorum viridis cernere fata genas.
At nunc in media cecidere abrupta iuuenta
  Gaudia, & iniecta viſcera glande ſtupent.
Dignus erat bis luſtra decem vixiſſe, ſed ille
  Non vidit vitæ ſeptima luſtra ſuæ.
Sed velut ad primos pubens roſa ſoluitur auſtros,
  Aut vbi verna nouis purpura ſpirat agris;
Sic moritur; vulnuſq; recens depaſcitur artus,
  Dum datur extructo corpus inane rogo.
Omnia quæ plebi cùm ſint notiſsima, mitto;
  Nec benè ſunt chartis adijcienda meis.

Laudo,

Laudo, nec indignæ laudis præconia poſcunt,
Quis ſinet indignis illa perire modis?
Anglia virtutum præco, Germania teſtis,
Illi erat hæc nutrix, Anglia mater erat.
Flandria ſi taceat, fuſus cruor ipſe loquetur,
Fuſus, vt extaret victima ſacra Deo;
Extat, & hanc lætis accepit Iuppiter vlnis,
Vtpote quæ ſuperis ſola ferenda fuit.
Sidneium vero tanto dignatus honore eſt,
Vt velit, aſtra ſuper, ſyderis inſtar eat.
Sic tibi ſepoſito *Sidnæi* nomine, nomen
Diuino impoſitum numine ſidus erit.
Iamque vale *Sidneie*, Iouis digniſſima proles,
Iam finita tuis ſunt mea ſacra rogis.

Tho. Holland.

In Eundem.

Non tibi vitam cupimus *Philippe*,
Montibus nummi, cumulis nec auri,
Militum ſed vel nece cæterorum
Mille redemptam.
Sic fuit cunctis tua vita dulcis,
Eſtque mors tanto tua ſic dolori,
Quiſquis vt pro te cupiat vel ipſum
Morte peremptum.
Iure nam non te tua ſtirps lucere
Fecerat, pluſquam tua mens potentem:
Quamuis è magnis proauis auiſque
Stemma petiſti.
Occidis curans patriæ ſalutem,
Occidis Chriſti pia bella geſtans,
Occidis ſic vt tibi nunc beato
Cœla ſuperſint.

Hen. Michell.

In obitum Honoratissimi viri, Philippi Sidnai, Epigramma.

Pallida mors populi ſubuertit mœnia firma
Suſtulit atq; duces, nulli mors pallida parcens.
Pallida mors fauſto *Sidnæum* ſydere natum
Surripuit nobis, nulli mors pallida parcens.
Pallida mors Anglos orbauit lumine pulchro,
Sidnæo valido, nulli mors pallida parcens.
Pallida mors nobis armatum fecit inermem,
Subijcit & tumulo, nulli mors pallida parcens.

L. Barker.

In obitum illuſtriſsimi viri, Philippi Sidnæi, equitis aurati, Carmen.

Fœlicem Titij nunc terque, quaterq; beatum,
Quantumuis miſerum, terq; quaterq; ſtatum,
Cui miſero æternum, ſemper pereundo renaſcens
Non perit, vt poſſit ſæpè perire iecur,
Viſcera in vltrices male ſuccreſcentia pœnas.
Debita Caucaſeæ pabula præbet avi.
Non iecur arroſum mihi ſæuo à vulture creſcit,
Sæuior en quouis vulture vultur adeſt.
Cor mihi tabeſcit, tabeſcendoq; recreſcit,
Serrato arrodit cor mihi dente dolor.
Non poſſunt guttas emittere lumina ſalſas,
Sic dolor irriguos obſtruit hiſce poros.
Occubuit (fauces mihi quam ſuſpiria claudunt?
Vt vix (occubuit) dicere lingua queat)
Nuper quam nondum, nuper, tam triſte fuiſſet?
Nulli non ſummo iure dolendus homo.
Dijs charus ſuperis, charus mortalibus immo

Nulli

Nulli non charus, qui ſibi charus erat.
Delitiæ Europæ, gentis Brutina Britannæ
Virtus, *Sidneia* gloria ſumma domus.
Sedem in quo poſuiſſe ſuam prudentia viſa eſt
In cuius cerebro culta Minerua ſuam,
Quo Dea iuſtitiæ *Nemeſis* fuit vſa patrono,
Quo *Mars Marte* ferox geſtijt ipſe ſuo,
Quo viuo erubuit belli Deus ipſe vocari,
Sed Marti huic ceſsit bellica iura ſuo,
In quo virtutum ſtabili connexa cathenâ
Confluxit miris tota corona modis.
Vt quis Pandorum mutato nomine dicat,
Sic donis illum dij decorâre ſuis.
Quem viuum ſuperi, mortales vnice amâſtis
Defuncti exequias nunc celebrate ducis.
Marſq; tuum defle *Martem*, *Nemeſisq;* patronum,
Mæſtaque delicias *Pallas* abeſſe tuas.
Anglia pullatas, pullatas Flandria veſtes
Indue, tu pugilem, tuque doleto ducem.
Virtutes eheu *Pandoro* fundite veſtro
Inter vos, eheu; nolo deeſſe meum.

R. Rowley.

In obitum Philippi Sidnei

Equitis.

PH armaca mors ſpernens medijs ſtans dira triumphi S
I nijcit in pectus *Sidney* tela *Phillipp* I
L ongius ergo fugis ſaccos o Anglia ? Numqui D
I n cineres differs tua gaudia vertere ? Nemo N
P loratum luget Comitem ? Cui nulla tuler E
P ace, fideque parem, permagni ſœcula mund I
V i ſuperans, virtute valens, ſic belliger ict V
S ternitur aſtra petens leuibus Sidneius ali S

G. Fairfax.

In obitum viri ornatiſsimi,
Philippi Sidnei, Carmen.

Pallas. *Plebs.*

Plebs. ARma quid armipotens geſtas? quidcaſſida? quorſũ
Ægida? Cur manibus tela parata tuis?
Picta quid in ſigno remanet Bubonis imago?
Ceu nota quæ vigilem denotat eſſe Deam?
Sic vigilare ſoles? dulci ſic membra ſopori
Dedis? dum famulos mors necat atra tuos?
Hic honos, hoc decus eſt, tantos ſubijſſe labores?
Atque ſub imperio miles adeſſe tuo?
Siccine qui veſtras viuus ſæpe induit aras?
In Phlegethontæis præda iacebit aquis?
Surge Virago, tuum ſerua de morte *Philippum*
Ne mors armatam vincat inerma Deam:
Pal. Inuida Plebs quid agis? cur numina noſtra laceſſis?
Viuit in æternum quem perijſſe putas?
Mors ſibi non mortem tribuit violenta perennem,
Mortuus ἀθάνατον poſsidet ille βίον.
Depereundo viget, viguit perijſſe, peremptus
Clarus ad Æthereos victor abiuit agros.

P lanta priùs moritur, ſuoque in corpore terræ
H æret quàm culmen tollit ad aſtra ſuum:
I nteritura priùs celeri ſic vita volatu
L abitur, incertæ more fluentis aquæ:
I nclytus Ætherei quàm poſsit victor olympi
P eruia cœleſtis ſcandere regna Iouis.
P hilippus primò parua compingitur vrna,
V anida terreſtris contegit oſſa locus.
S ed mens alta domos ſuperûm, mens neſcia lethi

Splendi-

S plendida ſigniferi poſſidet aſtra poli.
I mproba prævalidum cenſebas Parca *Philippum*
D ebili ad infernam mittere morte Stygem?
N eſcia præcocem ſcindebas Atrope vitam
Æ ternos poſsit quæ meruiſſe dies.
V ana relabentem ſumebas Parca laborem?
S emper enim ſeruat *Iuppiter* ipſe ſuos:

V t quibus ipſa negant veſci fata ætheris aura,
I pſus in Eliſijs nectare paſcit agris.
V ita prior cecidit *Sidnæi*, vita ſecunda—
I nſequitur nullo deperitura die.
T urbida vita prior mors eſt, qua morte ſubacta

V ita perennis erit debita vita pijs,
I nclyta Brutigenis lucebat ſtella coronis,
T etrica & Hiſpanicûm ſuſtulit arma ducum:
A t nunc (quæ merces virtutis certa peractæ eſt)
M axima cœlicolum vicerit aſtra deûm.

M. P.

In obitum Nobiliſsimi viri, Philippi Sidnæi, Equitis Aurati.

MElpomene ſicco nunquam ſpectata Theatro,
Nunc aliquid mæſtis ſi potes adde modis,
Non de Phlegræis narranda eſt fabula caſtris,
Non iam bis capti fata canenda ſenis.
Non *Rhodophe*, & *Pindus*, ſed nec Scamander, & *Ida*
Nec prima inſano credita vela noto.
Aſt immaturo tradendum heroa ſepulchro
Extolle, & numeris præcine Muſa tuis.
Æratas clamore tubas, ſtrepituſque minantes,
Fulmina, & Ætnæos voce canora ſonos.

Sidnæum ſiquidem non incomitata *Philippum*
Non flebis tantum carmine ſola ducem,
Tecum lugubres attollet curia voces,
Tecum funereos *Martia* caſtra modos.
Te plebs, te proceres, mare te, tellusq́ue ſequetur,
Doctaque non aberit, ſedula turba, cohors,
Omnia lugebunt; immaturumq́ue ſepulchrum
Tempora deflebunt noſtra, futura gement.

In obitum Nobiliſsimi viri, Philippi Sidnæi Equitis Aurati.

PLangite mortales, quicunq́ue in honore ſtetiſtis,
Cernite quis veſtri finis honoris erit.
Hei mihi, quam cuperem de te *Sydneie* tacere,
Dum trahis inuitos in mea ſcripta modos?
Nec tamen ingenuas odi cum carmine Muſas,
Nec certè grauis eſt verſificare labor.
Verúm mærores, & lamentabile funus,
Et te materiem carminis eſſe piget.
O ſi fata velint iterum te reddere nobis,
O *Dudleiorum* magne, *Philippe*, nepos.
Parce precor ſceleri cupienti talia noſtro,
Labes affectu non caret iſta pio.
Flebit inops, flebit diues, tota Anglia flebit,
Et flebunt mortem ſœcula ſera tuam.
Sed nos inprimis, atq́ue hæc Academia mater,
Flemus in æternum turba togata diem.
Crede mihi, lachrymæ creſcunt in flumina noſtræ,
Et tenera in montes corda dolore tument.
Et vos fœlices quondam, mœrete libelli,
Tuq́ue o mœſtitiam *Muſa* loquare tuam.
Quis iam patrono vobis ſuccurret adempto?
Suſcepti merces vnde laboris erit?

Credite

Credite, Melpomene pænè est confusa dolore,
Nec mœstos solita suggerit arte modos.
Illam ego sperabam laturam in carmina vires,
Sed non Melpomene sæpe vocata venit.
Scilicet idcirco medio me sistere cursu
Cogor, quando loqui *Musa* vel ipsa nequit.
Et licet ingentes non edant carmina luctus,
Testantur mentem sed tamen illa meam.
Iamque vale, Elysia fœlix in valle quiesce,
Nos erimus memores postera turba tui.

Io. Ducket.

De obitu clarissimi viri Philippi Sidnai, Equitis.

INgemit, & quoties fando peruenit ad aures
Fatum *Sidnai*, plebs pia clamat eheu.
Hunc inter Flandros nuper fera bella gerentem,
Hostilis petijt sanguinolenta manus.
Cuius virtutes solem pertingere, terras
Illustrare suo lumine(credo)valent.
Virtutum præco Gallus, Germanus & Anglus,
Testatur vires Flandria tota suas.
Hic nuper vixit; tum nostræ gloria gentis,
At nunc Æthereas possidet ille domos.

I. Hatcher.

In eundem.

CVm dubij cursus & euntia tempora vitæ
Labuntur subito, mobilis instar aquæ:
Cumq; breui spatio succrescit, & occidit herba,
Quam parit æstatis tempore solstitium:

Quis ſe longæui victurum Neſtoris annos
Eſſe putat? vitæ cum fugit hora breuis.
Magnanimum regem fregit mors ſæua *Ioſiam*
Ießiademq; pari ſuſtulit illa modo.
Sic immaturæ mortis, florentior herba,
Spes magna Anglorum vulnere fracta iacet.
Rarus erat, magno quia nomine clarus auorum:
Et (per ſe parto nomine) clarus erat,
Tullius eloquio, forma *Abſalon*, *Hector* in armis,
Conſilio *Neſtor*, relligione *Cato*.
Hunc, claræ illuſtrem patriæ dum ſpectat honorem,
Glande venenata ſuccubuiſſe ferunt.
Ergo vt *Hamadriades* croceum pro corpore florem
Narcißum mæſtis, ingemuere ſonis:
Sic nos caſſum animo corpus, ſine flore cadauer
Sidnæi noſtri flere coëgit amor.
Finijt illuſtrem cita mors, & ſplendida vitam,
Conditur hic corpus, ſpiritus aſtra petit.

Henricus Glaſcoke.

In obitum Nobilißimi Herois Philippi Sidnæi.

SAnguinis autores memorans longo ordine magnos
Heroas victurus auos Sidneius heros,
Ingenioque & Marte potens, florentibus annis,
Et *Matheſin* doctus, reliquaſque induſtrius artes,
Militis interijt (durum) ſine nomine dextra:
Omnia ſcilicet iſta ſequuntur bella ſequutos,
Nec tamen hoc illi nocuit, ſibi viuit & hoſti.
Effudit fragilem pro Chriſti nomine vitam;
Æternam viuet pro Chriſti ſanguine vitam;
Sentiet Hiſpanus viuum quoque cum ferus vltor
Irruet, & timidos iratus proteret hoſtes.

Rowl. Hill.

In obitum honoratissimi viri Philippi Sydnei equitis aurati, carmen funebre.

CHare vale, patrium viui quæ sensit amorem
Hæc te defunctum patria chara dolet.
Stirpem vita sonat, vitam mors ipsa celebrat
Famaq; non bello parta sed aucta colit.
Auctam *Mars* statuit, partam negat esse *Minerua*
Vendicat hæc vitæ, mortis at ille, decus.
Hæc decorant fletu cineres & planctibus vrnam
Quæ decorare soles, *Curia*, *Musa*, *Forum*.

Henr. Blaxton.

In obitum splendididissimi adolescentis D. Philippi Sydney equitis Torquati.

SIccine quæ redeunt, abeunt, vt parcere Parcæ
Lanificæ Domino non potuere suo?
Inuida præclaros Lachesis cur demis honores?
Cur rapis eximios nobilitate viros?
Nempe creatorum nullum discrimen habetur,
Quæ tellus peperit, mors inimica rapit.
Ergo iace venerande heros *Sydnæia* proles,
Et tua membra mori marmore tecta sine.
Corpus habet tumulus, mentem sed seruat Olympus,
Terra tegit terram, mens petit alma polum.
Vulnus habet corpus; perit. at tua fama vigebit,
Aurea nec virtus est peritura tua.

In eundem.

EHeu num vesci *Sydnæus* desijt aura
Ætherea? an miserum Parcæ misistis ad Orcum

Heroem tantum? cur non gens Anglica luges?
Heu perijt *Nestor*, perijt vis vivida *Achillis*,
Atrides perijt, sic virtus *Hectoris*, eheu.
Omnia conveniunt; omnes coniunxit in vno
Sydnæo graphicè virtutes *Pallas*, & omnes
Heu periere simul; vestrum lugete Britanni
Heroem, clara bello virtute peremptum,
Nunc tandem tumulo summa pietate sepultum.

I. Baits,

In eundem.

INclyta *Sydneo* domus ô viduata beato
Orba tuo Domino squalida facta domus,
Exue te festas miserabilis, exue lauros
Temporibus non sunt serta decora tuis:
Indue te mœstas (sic res iubet) indue vestes
Squalentesq; tegat squalida vitta comas,
Linque domum tristis, querulas effundito voces,
Irrigat & madidas lachrima crebra genas:
Ille tuus, tuus ille fuit, tuus ille remansit
Jlle tuus tandem desijt esse tuus.
Comica luctisono raucescunt tympana cantu
Et resonant tristi barbita mœsta manu:
Carmina cum lachrymis fundunt lugubria *Musæ*
Morte quod occubuit tantus honore comes.
Scilicet haud facili molimine soluimus illa
Quorum sunt nodis vincula iuncta suis.
Quid referam varias diuino in pectore dotes?
Viuere perpetuo tempore dignus erat.
Sanctus enim veræq; fuit pietatis amator
Puraq; qua potuit dogmata iuvit ope.
Ipsius ex gestu grauitas, ex ore reluxit.
Candor, & ingenuæ simplicitatis amor:

Fidus

Fidus erat fidis,constans, & amicus amicis
Nullus in ipsius pectore fucus erat:
Magnanimus Iuuenis, ſpes Anglis ſumma futura
Summa patris, Patriæ Gemma ſaluſq; ſuæ,
Prætereo reliquas cœleſtia munera dotes
Queis alijs ſi non maior at æquus erat: (mitto
Quod proba, quod prudens, quod caſta quod integra
Quod fautrix inopum, quod pia vita fuit.
Non opus eſt laudum titulis communibus vti
Quas habuit proprias ſit memoraſſe ſatis
Adde quod Heroûm ſit ſanguine natus ab alto
Natus ad eximias poſteritatis opes.
Attamen hunc iuuenem tinctis lanugine malis
Abſtulit à nobis Atropos illa ſoror.
Proh dolor Angliacis, heu triſtia fata parenti
Heu generi toti funera mœſta tuo:
Inuida quid teneris iuuenem creſcentibus annis
Mors rapis in ignem, ſpemq; decuſq; patris.

In obitum nobiliſſimi viri Philippi Sydnei equitis aurati.

SÆpe aliquod lepidum meditabar arundine carmen;
Et tamen in ſcriptis nil niſi triſte fuit.
Obſtupui fateor; libuit tentare ſecundo;
Et lugubre iterum dextera cudit opus.
Tum verò calamos cæpi damnare, manumq;;
Nulla fuit calami culpa, nec vlla manus.
Muſa fuit, Dominum quæ lamentata peremptum
Non potuit luctus non memor eſſe ſui.
Fluminis illa ſuper ripas proiecta recliues,
Neſcio quid tragicum murmurat inter aquas.
Inde ſuum repetit collem, ſedeſq; relictas,
Et queritur, teneras dilaniata comas.

Sæpe

Sæpe & in immites faciens conuitia Parcas
Audet opem Smyntheu sollicitare tuam.
Seu valeas arcu diras disperdere Parcas
Siue velis medicis artibus esse potens.
Nec prius ipsa sui decoris memor esse laborat,
Quàm concedatur vita, *Philippe*, tibi.
Quid nos interea? qua spe licet esse poetas?
Aut quo securi possumus esse modo?
Qui Mæcænatem medijs amisimus armis,
Et *Musa* paritèr destituamur ope.
Scilicet illa dies signabitur omine tristi,
Quæ fuit interitus nuncia prima tui.
Iamq; vale, Elysios peragra fœliciter agros,
Sitq; precor cineri mitis arena tuo.

In eundem.

ERgo clarus eques prorsus sine laude iacebis?
Concidet inq; rogis inclyta fama ducis?
Quod Pontus, quod non tellus capit alma Britannûm,
Vrna minuta teget? tollet & hora decus?
Non tollet: semper referent tua facta Brytanni;
Res referet gestas *Hispana* terra tuas.
Palladis & clari fueras Mavortis alumnus,
Hæc doctum fecit, fecerat ille ducem.
Sic coijt duplex in simplice pectore virtus:
Patria te fidum sensit, & hostis acrem.
Et patriæ redimis proprio cum sanguine vitam,
Heu fortuna tonat sæva, tonante cadis.
Nil tamen hostis habet, gelidum capit Anglia corpus,
Cœlica vult mentem regna tenere Deus.
Abstulit hanc hostis: lucem dedit, atque perennem
Author, & est vitæ, qui necis author erat.

Clarus

Clarus eras viuus, magis es post funera clarus,
Grate Deo, Patriæ chare *Philippe* vale.

Iohannes VVelde.

In eundem.

CVi pia nobilitas, duplicata laude, reluxit,
Cui contra *Hispanos* vis animosa stetit:
Non genus & virtus, eheu par nobile, fatis
Eximit, aut patrio dat cecidisse solo.
Dum verò Anglorum contrectans nomine ferrum,
Dux, eques, & iuuenis se dat in arma Pugil:
Ecce Iberûm quidam conferto ex agmine, torquens
Missile, *Sydneio* fata suprema tulit.
Hinc fit ad æthereas cursus properantior ædes
Et causa hostilis dextra salutis erat.

S. Ihonson.

In obitum viri clarissimi Phil. Sydnæi.

Plebs, Templum, Fata, Mars, Fama.

Templ. SIste prophana cohors demens & mobile vulgus,
Est locus iste sacer siste prophana cohors.
Est locus iste sacer Templum locus iste Deorum,
Nulla iuuat superos turba prophana Deos?
Siste proinde gradum miseros onerata lacertos
Non licet in Templum pondera ferre sacrum?
Dic quod onus portas? vel quæ huius causa recursus?
Ad Templum nimium suspiciosa venis?
Seu quæ surreptis venisset onusta rapinis,
Exquirens tacitum furta silere locum.
Dic igitur quod onus portas? si munera portas
(Munera quæ iratis sunt placitura Deis)

En patet introitus, ſi non patet exitus exi
 Fortè iuuat ſacros non tetigiſſe locos?
Quid remanes, quaſi muta? premit mens conſcia furti?
 Num pudet admiſsi (turba ſceleſta) mali?
Plebs. Quod ſcelus oſtendis: quæ crimina, furta, rapinas,
 Nos nihil hijs compar fecimus. Ergo tace?
Templ. Cur ruis in templum magna comitante caterua,
 Quæ mihi ſurreptas flere videntur opes?
Plebs. Fallere. defunctam miſera flent morte iuuentam,
 Heu flent defuncti funera flenda viri
Nos vt iura iubent Patriæ ſepelire peremptos,
 Nitimur in gelidam ponere corpus humum.
Templ. Proh ſcelus infandum? ſummi proh numina cœli?
 Hæccine vos fieri admittitis acta Dij?
Currite Latrones, homicidæ, currite fures
 Me cupitis tanti compos habere mali?
Huc iuuenem fertis? thalami quem in flore iugalis
 Impia priuauit lumine veſtra manus?
Hæc loca nequitijs cenſetis commoda veſtris,
 In quibus hæc poſſunt facta latere viros?
Credite ſi fortaſsis ego taceam? tamen ipſa
 Muta volunt facinus marmora tale loqui.
Sed memorate mihi (quoniam conuenimus omnes)
 Vnde fit vt mortem traxerit ille ſuam.
Plebs. Dum validis validos ſectatur viribus hoſtes,
 Cogit & incertæ vertere terga fugæ,
Ferrea lethales mittit bombarda lapillos
 Quo femur infeſto vulnere cæſus obit.

P eruerſo tetricas conarer carmine Parcas
H iſpana vel rapido rodere bella ſtylo?
I niurioſa Britanniadæ ſunt fata iuuentæ,
L audibus eximium quæ necuere Ducem.
I niurioſa ſimul lis iniurioſa Britannis,
P eſsima precocis quæ fuit anſa necis.

Plebs

P lebs quid agis? quid fata metris perstringis acerbis — *Fatum.*
V estro quod cecidit vulnere Martis honos? — *Plebs.*
S aucius heu vestro cecidit *Sydnaia* ferro

S tirps, hæres Dominûm, & gemma futura Duûm.
I mpia fatiloquis maledicis turba Sybillis, — *Fatum.*
D ecidit Armigeri viribus ille Dei.
N ostra quis impuris defamat numina verbis, — *Mars.*
Æ nea quæ nullo flectitur ore Dea. — *Plebs.*
V os nostræ impuræ laceratis numina Parcæ? — *Mars.*
S iccine fas validum ludificare Deum?

V os hominem occidistis? & in nos crimina cædis
I actatis temeræ turba maligna tuæ?
V ana tibi Parcæ (Plebs optima) falsa loquuntur
I llius heu vobis morsq; dolenda mihi.
T anta quid alternis agitatis verba Camœnis? — *Fam.*

V os nec hoc ausi estis nec potuistis opus?
I lle Tonantisonis iaculans qui nubibus ignes
T errifico tremulos fulmine quassat agros,
A bstulit hunc terris, & summo iussit Olympo
M ulta *Sybillina* viuat vt æva Deæ.

V irtus sic animi, sic vis inuicta triumphis
N obilitata suis sic decus, altus honos,
I psaq; præclaro de stemmate nata Propago,
C œlica supremi vendicat astra Dei.
A mentes igitur Parcæ & *Mars* mittite rixas,
M ortua *Sydnaici* est vnica vita viri.

P. T.

In eundem.

QVod genuit vetiti gustus Duce Dæmone mali,
Gustamus meritum stirps *Adamæa* malum.

Dumq; bonumq; malumq; cupit ſapuiſſe, ſapore
  Falſa bono, nobis quàm ſapit *Eva* malè?
Hinc patre peccato, ſed avo ſerpente creata
  Exiluit dignum Mors ſibi nacta genus.
Nec *Iovis* armatam cerebrum peperiſſe *Mineruam*
  Miremur: calamos mors habet ipſa ſuos.
Nata recèns, hominum primos aggreſſa parentes
  Falce verecundo demetit orba metu.
Creuerunt animi cum viribus: vnde nepotes
  Illa ſecunda manet, tertia, quarta lues.
Auſa priùs tantùm canos mulcere capillos,
  Nunc aurem teneris vellit adorſa, genis.
Naſcendo morimur, cunis ſepelimur in ipſis:
  Primaq; fax vitæ, eſt falx quoque ſumma necis.
Ergò quid immundi veneramur ludicra mundi?
  Cuncta ſub infeſtum mors agit atra iugum.
Latous Rhodijs quàm clarè vixit in oris?
  Quamq; ſuum coluit Perſica terra Cyrum?
Ille Laërtiades nitidis quàm præſtitit armis?
  Mors tamen eſt armis annumeranda ſuis.
Hæc, hæc vita mare eſt ſaxis ſcopuliſq; refertum,
  Et quia vita mare eſt, quid niſi amara petes?
Angle triumphales deponito languide Pompas:
  O flos, ô Patriæ ſtella (*Philippe*) iaces.
En fuit, en non eſt, cecidit: ceciditq; *Philippus*
  Amynthæ proles: ergò fuere pares?
Haud ità: nam noſter Chriſti decumbit amore,
  Illum, hînc agnoſco non potuiſſe mori.
O nos fœlices quos tales lampas adornat:
  Lampas obit Chriſti, cuius amica fuit.
Quam flent magnates, tumidis fletq; Anglia buccis,
  Quam Cantabrigiæ fletq; doletq; cohors.
Integritas cum quo ſunt nobilitaſq; ſepultæ
  O quantas gazas contegis vrna breuis?

In Eundem.

SI gemat Aurelium gens gens Romana Latinum,
 Qui nouit patriæ consuluisse suæ.
Si gemat eloquij Ciceronem Roma parentem,
 Cui fuit vrbanæ sedula cura rei.
Si gemat inuicti tristissima funera Titi:
 Si mors Traiani dira gemenda fuit.
Græcia siuè gemat, seu contristentur Athenæ,
 Cum mors magnanimos sustulit atra duces;
Angli flete, vagos penetrent suspiria cœlos,
 Causa iubet, res est congrua, fata volunt.
Lugeat interitum spatiosa Britannia tristem,
 Aspera *Sidney* fata gematque ducis.
Terque, quaterque gemat subitam gens Anglica mortem,
 Et recitet lachrymis funera dira pijs.
Qui dux in bellis, qui *Martis* & inclyta proles,
 Qui par erat gestis Aurelioque suis.
Tullius eloquio doctus non præstitit illi;
 Æquârunt Titum vis, animusque pium
Non Traianus eo melius patriæuè saluti
 Consuluit. *Scipio* fortis, & *Hector* erat.
Augustus dici poterat, cui Roma perennem
 Optauit vitam, laus sua talis erat.
O phœnix! ô gemma nitens preciosior auro,
 In quo virtutum copia tanta fuit,
Cuius ad æthercam conscendit spiritus arcem,
 Putre licet viridis terra cadauer habet.

In Eundem.

ANglia *Sidnæum, Sidnæum* Flandria poscit
 Illa suum poscit; poscit & ista suum.

Illa ſuum gnatum : charum petit iſta parentem,
Alternam rogitant, altera & altera opem ;
Hæſit ſumma diu vox faucibus, ô tibi tandem,
Anglia, parce refert : Flandria, parce mihi.
His vel *Sidneus*, vel garrula, vocibus Echo,
Reſp ondit repetens, Flandria parce mihi,
Omen deſpexit, matriſque ad lumina mæſtæ
Collachrimans, longe hinc, heu fuge mater ait
Addidit, in miſeræ verſus ſpectacula gnatæ,
Obſita quam multis, obſita gnata malis ?
Exijt, & in medios conſcendens impiger hoſtes,
Qua ſua gnata vocat, qua ſua fata vocant,
Viue refert, ſeruata meo ſed ſanguine, viue,
Vita mihi mors eſt, mors mea vita tua eſt.
Huic, duo perpetuo qui iunxit fœdere regna.
Anglia buſta paret, Flandria buſta canat :
Sydnæos cineres (neque enim mirabile dictu.)
Vendicat ipſe ſibi *Mars* & *Apollo* ſibi.
Iam noua, ſed Diuos inter contentio nata eſt
Ille meus dixit *Mars*, & *Apollo* meus.
Alternis reſonat Diuorum vocibus Æther,
Hunc mihi *Muſa* dedit ; bella dedere mihi.
Audijt hæc vaſti ſummus moderator olympi
Iuppiter, & blanda, talia voce refert.
Siſtite fœlices *Sidnai*, ſiſtite manes,
Eſt noua progenies, ſiſtite noſter erit.
Ille meus gener eſt, huic deſponſanda *Minerua*
Quam ſibi *Muſa* dedit: bella dedere ſibi :
Cœleſtemque ſimul, *Sidnæo* reddidit auram.
Anglia dulce canas, Flandria dulce cane.
Viue, vale *Sidnae* vale. Dum fata tulere,
Noſter eras viuus, mortuus, eſto deûm,

G. R.

In eundem.

Heu

HEu quid agas miſeros infœlix Anglia luctus
Et caſus perpeſſa graues? fortiſsimus Heros,
Brutiadumq; alter Brutus, nec Marte nec arte
Vincendus, ſubita deuictus morte, quieſcit,
Stemma tuum perijt, perijt digniſſimus, eheu,
Et libet exclamare iterum vehementius eheu:
Magnanimus perijt diuumque hominumque Satelles,
Bellatorque valens, tuus heu Sidneius Heros.
Heu quid agas? fundant riuos plangoris ocelli,
Et tibi pingueſcant fletus ſcaturigine rivi:
Talis, talis abeſt, qualem ſperare futurum,
Non gens vlla poteſt. Non æui ſœcula longa:
Progenies generoſa ſui, gemmata propago,
Palladium pectus, ſedes inſignis honoris,
Virtutum ſeries, inuicti robur Achillis,
Ingenij ſplendor, vultus formoſa venuſtas,
Melleus ore ſonus, divinum mentis acumen,
Nobilitâre virum ſteterant dum flamina vitæ:
Phœnix alter erat, diuino lumine Phæbus,
Ingenio Lampas, lingua facundus *Vliſſes.*
Anglia ter fœlix talis dum Lampas adeſſet,
Nunc nimis infœlix tam ſacra Lampade caſſa:
Tu fœlix *Sidneie*, tui dum regia virtus,
Dum pietas, dum verus honos, dum vita vireſcens
Splendorem patriæ tulerant, Angliſque ſalutem:
At nunc ter fœlix. Num te fœlicior vllus?
Qui patriam vita, vitam virtute coronas,
Vulnere virtutem, decoras cum ſanguine ſtirpem?
Immortale tenes æternæ ſtemma ſalutis:
Te princeps, procerum ſeries digniſſima fleuit,
Te pietas, te priſca fides, te docta Iuuentus,
Te te ſacra cohors, te nos defleuimus omnes.
Flende igitur *Sidneie* tuo ter flende parenti,
Flende diu patriæ, nobis ter flende valeto.

In obitum ter docti Herois, Philippi *Sidnæi, Equitis illustrissimi.*

QVem mihi Musa virum tristi resonare Camœna
 Concipio mœstus, quem mihi *Musa* deum?
Musa virum, mihi *Musa* deum? quid an ista cohærent?
 Nominis in terris estne vtriusque capax?
Esse quid hoc dicam? deus est: nec numina parcunt
 Tollere? num Deus est? Num moriturus idem?
Appage vos Parcæ, cui parcitis? appage: vitam
 Quam traxere duæ tertia redde soror;
Concessere duæ, tantum negat vna sororum,
 Sed voluere parum, cum valuere nihil?
Ergo Macedonium superans generose *Philippum*
 Arte, animo superans en tibi ad astra viam,
En tibi qui *Sydnæus* eras; nam næ, tibi iurat
 Sydus eris, pars hæc nominis vna tui.

In Eundem.

ANglia quid viridi victricia tempora lauro
 Cingis? & inuicto pectore læta foues?
An quia securis spiret sors improba ventis
 Et semper placidis fata vehantur equis?
Sera manus carpit primis quod floret in annis
 Vix seges est hodiè quod citò messis erit
Floruit, & nuper quassatis anchora *Sidney*
 Extitit: at fatis iam noua præda manet.
Vulnere non *Martis*, perijt iam vulnere mortis
 Pulsat & intrepido tristia claustra pede.
Eximit vna dies quem virtus viuere iussit,
 Indomitum bello sustulit vna dies.
Occidit exemplum iuuenis venerabile morum

Occidit

Occidit, infœlix, gloria summa domus.
Ille tuus perijt, perijtque arma inter & enses,
Anglia, spes pacis concidit vna tuæ.
Quod poterant sua fata volunt, victoria parta est
Auctor abest operis, sed tamen exstat opus.
Facta ducis viuunt operosaque gloria rerum,
Viuit, & extincto corpore viua manet.
Vita data est, vtenda tamen sine fœnore nobis.
Omnes sub simili stamine fata vocant.
Omnes fata manent, omnes rapit inuida Parca,
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.
At poteras vixisse tamen fortissime *Sidne*,
Improba si scirent fata dedisse moram.
Vix annis maturus eras, sed laude senescens
Et potis es iunior vincere laude senes.
Sed querimur frustrà, non est penetrabile cœlum
Et tamen hæc frustrà verba dedisse iuuat.
Plangite Pierides, miserabile plangite funus,
Inq; suos cineres vltima dona date.
Tristibus in siluis tristissima personet Eccho,
Dentque suæ siluæ pignora mæsta necis
Pica loquax varias moduletur gutture voces
& Domino periit væ mihi *Sidne*, sonet.
Dicat & infœlix speciosa turtur ab vlmo
En patriæ Cygnum sustulit vna dies.

In Eundem.

CANTIA quid luges? gemitus quid fundis inanes?
O perijt *Sidney*: spes mea tanta perit.
Vita breuis, Mors certa venit, rapit omnia tempus:
Mens volat ad superos, corpora claudit humus.
Abstergas lachrymas, vestes depone lugubres.
In cœlis *Sidney*, florea serta gerit.

In eundem funebre carmen Thomæ Playfer.

SIDNEIVS, ſydus, ſignum, cygnuſq; *Philippus*
Ah perij, perijt: proh perijſſe, dolor;
Sydus eum pietas, ſignum Mars, candor olorem,
Fecerat: O poſſem, ne morirere, mori.
Syderius doctrina, inſignis ſtemmate, & ore
Cygneus: O poſſem te moriente, mori.
Nec pro te poſſum, nec técum, morte potiri,
Viuere, mors illi eſt, ſed mihi vita, mori.
Quem pietas, virtus, candor, doctrina, decorq;,
Et genus ornabant, dic mihi, qualis erat?
Si non mortalis, certè deus ille fuiſſet:
Non eſt mortalis, nunc erit ille deus.

In Eundem.

Ὦ τριπόθατε φίλιππε, λίαν γ' ἐφίλεις τὸν ἵππον,
ἵππῳ μαρνόμενος τ', ὀπτάμενός τε τεῷ.
Πατρίδος ἔλπις ἔην, ἱππέων κλεός, ἄγγελος ἀγγλῶν,
Δόξα σόφων, ἀρετῆς ἄνθεμα, θαῦμα νεῶν,
Ἐχθρῶν δεῖμα φίλων φίλτρον, καὶ κῦδος ἁπάντων,
Τοῦτε θεοῦ θεράπον, πατρίδος ἔλπις ζὴν.
Ὦ πάτρις κλήμων, ἔθανεν φιλόπατρις ἀγήνωρ,
Αὐτὸς δ' εὐδαίμων, σύμμα καρεσι θεοῖς.

Th. Playfer

Τοῦτι τοὐπικήδειον ἐποίησεν Ἀνδρέας Δοιωνῆς, εἰς τὴν
τοῦ ἐπιφανεστάτου καὶ ἀλκιμωτάτου ἀνδρὸς τελευτὴν,
Φιλίππου Συδναίου.

Ὦ Κύδιστε Φίλιππ' ἀνδρῶν προφερέστατε πάντων
Πῶς ἔθανες, τοῦ ἄγων σ' ὁ βροτολοιγός ἔβη:
Τίς σε τύχη πανάποτμος ἀπώλεσε; τίς σε κατέκτα;
Ἢ φθόνος, ἢ δαίμων βάσκανος ἢ νέμεσις.
Ζῶν δ' οἷός μὲν ἔμελλες ὑπείροχος ἔμμεναι ἄλλων
Κλήρους τ' ἀφνειοὺς καὶ μέγα κῦδος ἔχειν.
Οἰχομένῳ δ' ἐπὶ σοὶ Βρετανῶν μέγα πένθος ὄρωρε
Πᾶσι τ' ἔθνης προλιπὼν ἱμερόεντα γόον
Ἀλλὰ θανών περ ὅμως ἕξεις κλέος οὐρανόμηκες
Ἀνδρῶν δ' αἰὲν ἔσῃ πουλὺς ἐνὶ στόμασι.
Οὐ τόσον κλέος ἔσχεν ἀπολλύμενος μέγας Ἕκτωρ
Ἐν Τρώεσσ', Ἀχιλεὺς οὐ τόσον ἐν Δαναοῖς.
Οὐ τόσον ἐν Θήβῃσι παρ' Ἰσμηνοῖο ῥεέθροις.
κείμενος Ἀδράστου κυδαλίμοιο γόνος
Οὐκ οὕτω τὸν πότμον ἀμύμονος Ἀντιλόχοιο
Γηραλέος Νέστωρ κλαῖεν ὀδυρόμενος
Ὡς σου μήτρωες κλεινοί θαλερὴ παράκοιτις,
Πενθερός, ἠδὲ λαὸς πᾶς ὀλοφυρόμενος.
Τοῦ μὴ ἰδεῖν τόδε πένθος ἐπεὶ πεπρωμένον ἦμαρ
Ἔλθον πρόσθε γονεῖς ἥρπασεν ἀμφοτέρους.
Οὐκ ἄρα δηρὸν ἔμελλ' ἀπολείψεσθαι τόκος αὐτῶν
Αἰδοίη μήτηρ τὸν τέκεν ὠκύμορον.
Τοῦτό τις δυσσεβέως θέμενος λίαν, οὐκ ἂν ἁμάρτοι
Οὐδὲ γὰρ οὐ τυτθὸν ζῶν ἔτι χωρὶς ἔτλη.

Εἰς θάνατον Ἥρωος λαμπροτάτου, καὶ πολυθρυλλήτου
Φιλίππου τοῦ Συδναίου θρηνῶδες μέλος καὶ ἐπιτύμβιος διάλογος.
Προλογίζει ὁ Ξένος.

ξενος

Ἀγγλία κουρότροφος, καὶ πάμφορος αἶα Βρεταννῶν,
Τίπτε καλυψαμένη φοιτᾷς φαρέεσσι κελαίνοις:
Τί λέλακας κλαίουσα πολὺ λιγυροῖσιν ὀδυρμοῖς.
Ὠχρὰν ἔχουσα παρειὰν, ἐπὶ τοσσοῖς ὀλολυγμοῖς,
Δεῦτέ μοι ἔννεπε πάντα καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον,
Τίπτε δακρυχέουσα, φίλον κατὰ θυμὸν ἰάπτεις,
Ἐκπάγλως ἀχέουσα, καθὼς πτανυσίπτερος ὄρνις:
Ἁρπαχθέντα νεόττια μύρεται ἐκκαλέουσιν.

αγγλια

Ὦ ξένε, δερκόμενος μὴ θαμβεῖς, ἀλλὰ τάχιστα
Μύρεο δαιμόνιος, βλεφάρων ἄπο δάκρυα χεῦε
Κόλπον ἐς ἱμερόεντα παρήϊα λευκὰ διαίνων.
Ὤλετο πολύξεινος μὲν ἀνὴρ, Συδνήιος ἥρως
Φίλιππος κατὰ μηρὸν ἔχων θανατηφόρον ἕλκος,
Ἐχθροῖς πᾶσιν ἐραστὸς ἐὼν πολυήρατος ἄγγλοις
Φεῦ ἐλελεῦ, αἲ οἴμοι, κλάζετε πάντες ἰαιβοῖ.

ξενος

Μοῖρα Φίλιππον ἀνεῖλε, Φίλιππον τηλόθι κλυτόν,
Ποῖόν ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων: ποίαν αὐτὴν,
Κλύω: φεῦ ἔφραδες Φίλιππον πότμον ἐπισπεῖν,
Οὔασιν ἡμετέροις ἀλεγεινέα μῦθον ἐνίσπες,
Τίς ποθι γερμανοῖς φημὺς νεαδνέστερος εἴη:
Ἄγγλοις μὲν μέγα πῆμα φέρων, μέγ᾽ ὄνειαρ ἰβήροις.
Ῥητὸς ἐὼν τε φάτος πόρρωθεν πατρίδος αἴας,
Ἀλλόφυλος γὰρ ἀκοῦσα, περιπλεὲς ἄλλοθι πολλοὺς,
Αὐτὸν ἐόντα νέον περ, ὅμως βουληφόρον εἶπεν
Καὶ μνήστωρα λέγειν, καὶ ταῖς φρεσὶ πρέσβυα φωτά,

αγγλια

Ἀψευδέως μάλα πάντα πεφασμένα, ὡς ἐγενόντο,
Ξεῖνε θανόντι καλῶς, καὶ σὺ μέγα κῦδος ὀπάζεις,
Αὐτὰς κἂν πάνυ χαίρια μυθήσαιο, μὲν ἔμπης,
Οὐκ ἔτι νῦν ἀκριβῶς τε τέλεσμεθον αἶνον ἔνεγκας,
Νῦν πάρεβης ἀλκὴν Συδνάιου ἐγχεσιμώρου,
Ἀνδρὸς Ἀρηιφίλου καὶ ἐνὶ προμάχοισι πεσόντος.
Ἔγχος ἀνασχόμενος θάν᾽ ἐναντίβιον πολεμίζων,
Κρείδιην ἄλοχον προλιπὼν, καὶ πίονας ἀγρούς,

Οὗτος ἀρίστευων πάτριας ἀπὸ πείρασιν ἄγγλων
Μαρνάμενος ποδὶ ἀλλοφύλων γῆς ὤλεσε θυμόν
Φεῦ ἐλελεῦ, οἴ μοι, αἰάζετε πάντες ἰαιβοῖ, ξενος
Ἀλλ' ἴθι λῆγε γόων πτολιπόρθων γαῖα Βρετάννων
Ἐχθεο νῦν κυανόστολε, τῶν ἐπιλάθεο πάγχυ.
Καὶ χαίρειν ἀμφίχεαι κεφαλῆ κοσμεῖ πλοκαμῖδας,
Καὶ τέθνηκε φίλιππος, ἀπώλεσε μήποτε κῦδος
Ἀλλ' ὑπὸ γῆς περ ἐὼν, δὴν ἀγγλοις ἔμβιος ἔσται
Ἀβρότινον, καὶ ἀμάραντος ἀειθαλὲς ἄνθος ἐρέψει.
Τύμβον ἐνάρμοστόν καὶ μνῆμα περίκλυτον αὐτῷ.
Οἴ μοι ὅτις ἀποτμότερος καὶ δυσκνέστερος ἄλλος,
Νηλεὸς ὅσσα φίλον μοίρη κατέπεφνε φίλιππον αγγλια
Οὐδὲν ἐπὸς τοῖον ξεῖνε τριπόθατε δύναιτο
Εὐφραίνειν τυτθὸν φρένα μου πίσσον γοοπληκτον
Τεύτονες οὖν μύρεσθε Βρετάννοι νῦν γοάοισθε.
Γέρμανοι λυπεῖσθε μελάγχλαινοι στόνα χεῖτε
Ἀνδρα φίλιππον τὸν Συδναῖον μοῖρα κίχανε.
Δυσδλάιου υἱωνὸν ἀείδετε πάντες ἀοιδοί
Καὶ γοεροῖς στόματεσσὶ δῖος κούρων ὑποφῆται
Ἄρχετε θρηνῳδὲς μέτρου καὶ πενθιμὸν ᾠδὰν
Φεῦ ἐλελεῦ, οἴ μοι, αἰάζετε πάντες ἰαιβοῖ
Σῶμα τάφος λάχε τοὔνομα κλαίετε τέκνια ζηνός.
Ἀνδρῶν καὶ γένος: ἐξοπίσω, νεοί ἠδὲ γέροντες,
Νεκρὸν Συδναίου κηδεύετε σῶμα φιλίππου,
Ψυχὴν μὲν πάνυ ζῶσαν, ὀλύμπια δώματι ἔχουσιν,
Χαῖρε φίλιππε, γέων πάντων προφόρεστατε, χαῖρε
Χαῖρε ξένε τριπόθατε, πάλιν μάλα χαῖρε τὸν ἀμφω.

Ἰλερμος ὁ Βρανθουαῖτος
ἐκ τοῦ συνεδρίου
τοῦ Ἐμμανουῆλε

Εἰς θάνατον εὐγενεστάτου καὶ αἰδεσιμωτάτου ἀνδρὸς
Φιλίππου Σιδνέυ ἑξάστιχ:

Ἐσβέθη κύδιστος ἐὼν λίπε Σίδνεος αἶαν:
  καὶ λάχεν ἀσβεστὴν ἐν νεφελῇσιν ἕδρην.
Γαῖα δέμας ψυχὴν δ' ἀνελάμβανεν οὐρανὸς ἄκρος:
  Πανταχοῦ δ' ἀρετὴν οὖν μαθὼν τε μένει.;
Ἄμμιγα τ' ἀρχηγὸν ἦν Σίδνεος ἄμμιγα τ' ἄθλων:
  Θάλλε καὶ μουσῶν, ἄμμιγα σὺ χαρίτων.
Καὶ πρὶν ἐπιχθονίων ῥοδοειδὴς ἄνθος ἁπάντων.
  Εἴκελος ἀχάντων, γονεῦ ἐπουρανίων.
καὶ νῦ ἀριζήλοιο Διὸς δενιδώματι ναίει
  Δῖος ἐὼν αὐτὸς παῖς μεγάλοιο Διός
Οὐδ' ἔτι Σίδνεος ἦν ὅτι οὐ νέος ἐστὶν ἀσίνης:
  Οὔτε δὶ θνητὸς ἔην, αὐτὰρ ἄτερ θανάτου.

Εἰς ὄλεθρον λαμπροτάτου ἱππέος Φιλίππου τοῦ Σιδναίου
πένθιμον ἔπος. Ρ. ΜΙΛΒΟΡΝ.

Φαιδίμου ὠκύμορον φωτὸς δ' ὑπὸ πένθοι ὄλεθρον,
  Σὴν ἡ πενθήρης Ἀγγλία δυστυχίαν,
Ἰφθίμον οὐλόμενος πόλεμος θανάτῳ προΐαψεν
  Ἱπποβάτην: Βριτάνοις κήδεα λυγρὰ βαλεν.
Λοιγὸς ὁμοῦ σχίκος πᾶσιν, ἀλλοτριοῖσιν ἀηδὴς.
  Ἀνοῖν καὶ θείοιν οἴκοθι λυμὰ φυλοῖν.
Ἰὼ μοι πόσα τὴν δόξαν χθὼν μικρὰ καλύπτει,
  Νὺξ μία πῶς μουσῶν ἐνταφίασε κλέος.
Γῆμα πόσον Ζεὺς τοῖσιν ὀλύμπιος ἐστρέφεν Ἀγγλοις.
  Ἀνγλὴν τοιαύτην ὡς μὴν αὐεῖλ' ἀρετῆς.
Πατρίδα Σιδναῖος βρέφος ὢν ἔξωθεν ἐτίμα.
  Ἰσχυρὸς ὢν πατρίδος πλείονα τεῦχε τιμήν.
Ὄλβιος Ἀλβίων Σιδναίου ζαντὸς ἔδωκεν,
  Ὀλλυμένου τ' αὐτοῦ ἄλγεα πολλὰ φέρει
Σφάλμα τὸ μὲν πόλεμον, τοῦτ' οὖν θεοῦ θυμός: εἶτα
  Στηρίβοι δὲ θεὸς βέλτιον ὅπλα Σίων,

הקינת צלף

מגנני חלפ ־נא אלהום
עי מחלא קצער ערק אביבים
ער מקי קשפת קיץ חסרישים
חרי אי כל צבורך בריקונים
קשקסירניחר לא קשונבריקם
קשל סירנחור לאנשרצ הנם
ק והלחיא רק ללמנש ריס
חזי איבחנפל גנגרך בריקינים
ער צליץ חרי אר ין לנפיאים
צר צליץ לנני חניאים
צר מקטנים רגר הצנרולים
צליר מירני גבור בריקרנים

Εἰς θάνατον ἀνδρὸς εὐγενεστάτου τε καὶ γνησιωτάτου τοῦ
Φιλίππου Σιδναίου ἐπιτάφιον ἔπος.

Κλαίετε Πιερίδες Σιδναίου μοῖραν ἀρίστου
Δεῦτε κάκηνι κύκνου κλαίετε κῆρα καλοῦ
Τέθναχε λαμπρὸς ἀνήρ, ὁ ζῶν ὠφελήσας πολλοῖς,
Νῦν δὲ θανὼν ὀργὴν δεικνυσὶ πᾶσι θεοῦ
Τέθναχε Σιδναῖος, καὶ νῦν λίπε σῶμα Φίλιππος,
Τῆς δ' ἀρετῆς μνήμην πάντοτε ζῶσαν ἔχει
Εἴπατε Πιερίδες τοῦτο κλέος εἴπατε μούσαις
Μή ποτε τοιοῦτον παύετε κύκνον ἀείδειν.

In Eundem.

Σιδνεῖος βουλῆς ἀρετῆς τε κεκασμένος ἥρως
τὸν κλέος ἀθανάτοις, γείνατο γῆ θάνατῳ
Νῆμα παρῆλθε βίου, καὶ σήματι σῶμα κάλυφθεν,
Ἀλλὰ τάχος ψυχῆς, οὐδὲ μέμαρφε τάφος.
Οὐράνιος νῦν γὰρ ναέτης τέλος ὕστατον εὗρε
Τοῦγε βίου θάνατον καὶ θανάτοιο βίον.

Ἄλγεα

Ἀλγέα θνατὸς ἔπαχε, θάνων, ἀπάθης καὶ ἀναλγὴς
Γρόθεν ἐπιχθόνιος ὢν μὲν ἐπουράνιος.

Guilielmus Allibaster.

In obitum illustrissimi & fortissimi viri, Domini
Philippi Sidnei Equitis Aurati, carmen funebre.

Τέθνακεν, ἢ ζώει μᾶλλον Σιδνήιος ἥρως,
Τέθνακε, καὶ ζώει· θνητὸς, ἐὼν πὲρ ἔφυ.
Τέθνακε τὸ θνητόν. ζώει κλέος ἄφθιτον, αἰεὶ
ἀνθεῦσι τ' ἐπὶ γῆς, νοῦς δ' ἔος ἐνὶ πόλοις.
Θῆκέ μιν ἀθάνατον θάνατος, βίον ὤπασε πότμος.
Θνῆσιν ὃ δ' εὗρε βιῶν, καὶ βίον εὗρε θάνων,
Πάμμακαρ ὦ ζωὴ μοίρας πολὺ φέρτερα πάσης,
Ἣν κρείττων τούτου μοῖρα μάλ' οὖσα βίον.

Leonellus Hollimannus.

In mortem dignissimi viri Philippi Sidnæi
Equitis Aurati, carmen funebre.

Ἔκχει δάκρυ ἄρης, ὀδύρου γλαυκῶπις ἀθήνη:
Εὐγενὲς ὅτι ὑμῶν μοῖρα ἀνεῖλε τέκος.
Κλαίουσιν πάντες στρατιώτικον ἄνδρα ὁπλιταί:
Ὅττι ὑπερμενέτην αἶσα στρατηγὸν ἕλεν.
Κλαίετε Σιδναῖον μουσότροφοι εὐγενέες τε,
Καρτερόχειρ ὃς ἔην ὃς πολύμητις ἔπλευ,
Δουδλείων ποτὲ κληρονόμος, νῦν ἐστι τὸ βρῶμα
Γίγνεται: οὗ μεγάλη πάντοτε δόξα μενεῖ.

Gerardus Peeter.

In obitum illustrissimi, nec non fortissimi viri
*Philippi Sidnei, Equitis aurati Carmen
Funebre.*

Εἰ γένος ἡρώων πατρώϊον ἄφθιτον ἀγεῖ
Εἰ μεγαλοψύχων τοὔνομα κῦδος ἔχει:

Εἰ

Εἰ ἀρετῆ μισθὸς μάκαρ ταῖς μουσῇσιν ἄεθλον
Ἐστί, καὶ ἀθάνατον φιλομαθέσσι κλέος.
Σοὶ μισθὸς Σίδναιε κλέος σοὶ κῦδος, ἄεθλον
Δοξάν ἀερμνεστὴν θεῖον ἔπαρνον ἔχεις.
Ἐστὶ σοὶ ἀθάνατος θάνατος βίος ὄλβιος ἔστι
Σοὶ κλέος ἐν γάρα οὐράνῳ ἔστι βίος.

Rob. Lustier.

In Eundem.

Φεῦ στυγεροῦ μόρου αὐθεμοέσσῃ ἐν εἴαρος ὥρῃ
Ἀγλαὸν ἡρώων ἐμαράνθη ἄνθος, ὄλωλε
Εὐγενίης δολιχὸς σέβας εὐσεβίης κλέος Ἄγγλων,
Σβέννυται εὐφροσύνης λαμπρῶν φάος υἱὸς Ἄρηος.
Ἴφθιμος ἐν πολέμοισι Φίλιππος πότμον ἐπέσπε,
Ἀλλ' ἀναθαλλήσει νεαρῷ βλαστήματι φύλλον,
Δόξα πάλιν ζήσει φάος ἀκτίνεσσι φαειναῖς,
Ἔσσεται ἰσαῖον καὶ ἀθάνατον νωῒ τραῦμα
Λαγχάνει εἰν ἔθνεσσιν ἅπας ἐρίταρβεα τιμήν.
Τοὔνεκα δεῖ μαλακῶν Ἄγγλους φείδεσθ' ὀδυρμῶν.

I. Walter.

In Eundem.

Κύδεα πολλὰ φίλαι στήλασε, ζοπῶιατέ Μοῦσαι
Οἴσετε, Μουσάων θρέμμα θάλος τε θάνε.
Συνδνεῖος κρατερὸς πολυλήϊος ἐσθλὸς ἀγήνωρ,
Ἤπιος ἠυγενὴς ἴσος Ἄρηϊ θάνε.
Φίλοθεος, φιλόμουσος ἀγακλυτὸς, ἀρχὸς ἀμύμων,
Ποικιλόμητις ἱρὸς, καὶ φιλόπατρις ἔην.
Εὔσκοπος ἀειπρεπέτης, βουλῆς τε φόβοιό τε μήστωρ,
Ἀγλαὸς, εὐδήμων, ἤθεα πιστὸς ἔην.

Ῥίχαρδος ὁ Βρόλπρος

Ῥιγεδανοῖς θανάτου βελέεσιν ἕκαστος ὀφείλει
Καὶ πάντας στυγερὴ κὴρ θανάτοιο δαμᾷ

Τοὶ νὺ μὲν οὐπίμενοι νουσοῖς θνάσκουσιν ὠχόντες,
Τοῖς μελάνος θανάτου βάλλετ' ἑκουσί ἀπέος
Κηρί δ' ἀμεῖς Σιδνεῖος ἑκὼν αιδὸς δὲ βέβηκε
Γαῖαμ φεύγων ἑκὼν ζῆ βεβίωκεν ἀέκων
Σῶμα τρυπίφατον ψυχὴ φήμη τέ ἀγητὸν
Τῆ μὲν ἄπεσι βροτοῖς, τῆ δὲ πάπεσι θεῷ.

In Eundem.

Φλανδρεία δημοβόρος μήτηρ στυγεροῖο γόοιο
Αρηος θεράποντ' κατέκτανες οὐ φρονέοντα,
Μουσάων θεράποντα κατέκτανες ἄλλιμος ἥρως,
Ψυχὴ δὲ μὲν οὐ τέθνακε, πέπονθε γε μὲν ἄφρονα λυσσαν
Αργαλέου πολέμοιο καὶ ἄγρια πήματα ζωῆς
Ζωὴν πᾶσι μέλουσαν ἔχει θεοῦ ἐντίμον ὄμμα.

Ieremias Radclif.

In Eundem.

Λαμπροτάτοις ἀνδρεῖσι, καὶ ἀρρήτοισιν ὁπηδεῖ
Θανάτος οἶμον ἐὸν πάντα ἵζουσί πλατιῶ.
Ιλεος οὐχ ἐστὶν βασίλευσί μὲν ἠὲ σοφίοις:
Αλλα ποτ' εἰς γαῖαν καρποφέρουσαν ἄγει.
Αργάλεος πόλεμος νεάνισκον ἀπώλεσέ κλυτὸν
Η κόρα καὶ τρῶας εἷλε μέλας θάνατος
Εἵλατο Σιδναίον περικλυτὸν καὶ περ ἐοντα,
Οὗ καὶ μήδεν ἔχει γαῖα δὲ καλλιώτερον
Εγνωσέν γε θενος παῖδες μεγαλήτορες αὐτοῦ
Ο βριμον, ὅτι ἔχθροῖς κἰδος ἐνεχεν τοῖς,
Ανδρες ἄρα Βρίτανοι λύπερην τελέσατ' ἀοιδὴν
Ωλεσέ Κυδναῖον μαρναμένον θάνατος.

In Eundem.

ILium postquàm Danai feroces,
Bellicis quondàm machinis premebant:
Sordidos vultus lachrymis amaris
Troes habebant.
Hæctoris cæsi tumulum videntes,
Et pij stratum Priami cadauer,
Ense, deplorant, manibusq; tristes
Pectora tundunt.
Nos eheu quantò magis ad dolores,
Arripit cædes iuu enis periti
Bellicis rebus, satis & nefandis
Fortis in armis.
Ille pro charæ patriæ salute,
Obtulit sese medios in hostes
Sponte, conatus strenuè repressit,
Hispane vestros.
Donec ad mortem miserè dolendam
Raptus è vita lugubri recessit,
Quoslibet casus tulit, & pericla
Summa subibat.
Ergò profundas meritò Britanne.
Fletibus vultus madidos, peremptum
En iacet clarum decus, Anglicanæ &
Laurea terræ.
Cum tamen cœlos petijt supremos
Spiritus, grates referas peramplas,
Et vale lætum resonare debes
Carmine dulci.

In Obitum illustrissimi viri, D. Phil. Sidnei, Militis, Carmen Eligiacum.

Miles honorandos inter memorande parentes,
Et quibus abstulerint bellica fata dies,
Heu quàm triste tuo gens Anglica prebet honori,
Funus, & extremum, quàm tibi triste vale?
Curia summa dolet, proceres tua funera plangunt,
Occisum quoties Anglia tota gemit.
Magnatem princeps amisit summa fidelem,
Patria prudentem, fortia castra ducem.
Vulgus vt exclamant heroûm maxime, Sidny
Funus habe meritum, gloria Martis eras.
Ter fœlix, quoniam cecidisti fortiter armis,
Præsidium patriæ, militiæque decus.

R. Banningus

In obitum Philippi Sidneii Militis,

vt Marti sic Musis longe gratissimi Carmen in morem Dialogi.

Hospes. Anglia.

Hospes. Anglia cur querulos fundis lachrymosa dolores,
Cur fundis planctus Anglia mœsta tuos?
Anglia. Candida Sidneiæ resecarunt stamina vitæ
Inuida fata nimis, fata superba nimis.
Hospes. Sacra venenato laceras cur numina dente,
Numina quæ ritu sunt veneranda sacro?
Anglia. Inclyta num placido deperdam lumina vultu,
Lumina queis non sunt Numina sancta magis?
Hospes. Desine cœlicolas rixis, proscindere diuos,
Vah gemitus rident fata maligna tuos.
Anglia. Heu iacet infausto Sidneius Marte peremptus
Heu iacet Anglorum gloria, vita, decus.
Hospes. Gloria, vita, decus, columen Sidneius esto,

Sidneios

Sidneios plures ora Britanna feret.
Ang. Hoſpes amice tace, macerabo pectora fletu,
Ac tremor in toto corpore grandis erit.
Heu iacet infanda *Sidneius* morte peremptus,
Conduntur gelido bellica membra rogo.
O ego ſi fontem lachrymarum fundere poſſem,
Quám tenet inſolitus pectora mœſta dolor?
Hoſpes amice vale, mea lux *Sidneie* valeto,
Inter & Angelicos, viue valeq́ue choros.

R. E.

In Eundem

Neptunus. Palinurus.

Nep. SIſte ratem, *Palinure*, tuam: quid ſponte moraris?
Carbaſa plena ſoles pandere, ſiſte ratem.
Pal. Quæ valuere ruunt: non eſt durabile quicquam,
Omnia ſors verſat, quæ valuere, ruunt.
Vela ſolent pendere meis fluitantia malis,
Nunc datur at noſtris væ ſupereſſe malis.
Candida præcipitem polierunt lintea nauem,
Nigra vides: aptus luctibus iſte color.
Aſpice, temporibus nos vt mutemur iniquis,
Pro gemmis gemitu nauis onuſta redit.
Sæpe domum retuli viuos lætiſsimus hoſtes,
Mortua noſtratis nunc fero membra domum.
Nep. Nec ſemper durat florens, ſed labitur æſtas,
Non omni quiſquam tempore proſper erit.
Te quoq; per multos, licet, hæc tibi riſerit annos,
Læſit in extremo ſors malefida die.
Læſit & haud humilem, facti me iudice, læſit,
In pretio tantum triſte cadauer habes.
At timidam cuius detardent corpora nauem,

Qualis & ipse fuit, fac, *Palinure* sciam.
Pal. Hectora Troia vetus, bona Græcia fleuit *Achillem*;
Vtraque nam viguit principe terra suo.
Anglia, quem peperit, *Sidneij* funera plorat,
Nam duce *Sidneio* floruit illa diu.
Nomen is, in lucem quamprimùm prodijt infans,
Cæpit ab intactæ Pallados ore suum.
Esto *Philippus*, ait: φιλὸς appellaberis ἵππων,
Addent belligeri nam tibi nomen equi,
Vaticinata fuit: dum crescunt robur, & anni,
Fecerat ac ætas hunc vbi firma virum:
Herculeos audax cæpit tolerare labores,
Cæpit & armigeris subdere calcar equis.
Hic ita vectus equo torsit iuueniliter hastam,
Posset vt haud vllos vix reperire pares.
Magna domi, quæ digna viro, certamina gessit,
Bella foris gessit, quæ duce digna forent.
Iste pius miles constanti corde *Philippus*,
Iste decus patriæ sumpserat arma foris.
Hic mare dimensus, quamuis mare sensit amarum,
Pro patriæ statuit certus amore mori.
Quo pede cæpit, ijt: lateat, licet anguis in herba,
Nec regredi voluit se, regrediue suos.
Degener haud animus, fidens, animosa iuuentus,
In campum trepido prodijt absque metu.
Ille dolos, tanquam cautus præuidit *Vlisses*,
Consilio vires frangere quasque solet.
Hic quoties densos irrumpere vellet in hostes,
Nestoreo stimulos addidit ore suis.
Corpore dux iuuenilis erat, dux mente senilis,
Namq; duce grauitas iuncta senilis erat
Et grauis, & doctus: non est sine lumine Phœbus,
Nec sine Palladijs artibus ille fuit.
Hinc erat, a multis quod multa volumina quondam
Consecrata pio vidimus esse viro.

Is locupletauit pingui cum dote Cleanthem,
Ditauit gazis ac Helicona suis,
Ergo tuo titulum *Sidney* iure mereris,
Te quia sydereum credo fuisse reor.
Cætera quid memorem ? cum se misceret in arma,
Iberos Orco deijceretque viros :
En, velut ignota flos raptus decidit aura,
Cruce sub obscuro saucius hoste fuit.
Vulnera tum iuueni læso mouere furorem,
Hostibus incussit fronsque proterua metum.
Tum fuit vna salus nullam sperare salutem,
Acrior, vtq; leo, tunc in agendo fuit.
Irruit in medium, medio nam consita virtus,
Enituit virtus in medioq; ducis.
Dum fuit in medio (medijs extrema repugnant)
Turpiter is timido cæsus ab hoste fuit.
Spiritus in cœlum, Ioue sic statuente, volauit,
Et corpus tumuli debet honore frui,
Nep. Solue ratem, Palinure, dolor mea verba repressit,
Inter aquas flebo funera. *Pal.* Soluo ratem.

In obitum Domini Philippi Sidnæi

Equitis illustrissimi, Carmen Elegiacum.

Aluo dùm matris latuit *Sidneius* heros,
Quid pareret fertur consuluisse Deos.
Vir Venus, inquit, erit, deus, alter, neuter Apollo:
Quærentique omnes vera tulisse reor.
Namque die peperit quæ fulsit summa dolenti
Semivirumque Deum, semideumque virum,
Et nisi quod moritur, binos errasse putares
Sic fuit ex omni parte, vel arte Deus
Mars etenim, Phæbusq; suas donauerat artes
Et decus, atq; decor huius & huius erat,

Hinc noua cunctanti reperire pericula Parmæ
  Hinc fera terribili tendere tela manu,
Doctior aut acrior fuerit dubitatur, at illo
  Doctior aut acrior, nemo sub astra fuit.
Sed pia quid virtus; quid amica scientia belli,
  Quid prosunt superûm munera tanta deûm.
Nil adicit fuso Lachesis, quin stamina Clothus
  Ducit, & ex Parcis de tribus vna necat.
Nec prece, nec pretio flectuntur iura sororum
  Nulli vnquam nouit parcere Parca viro.
Quid genus aut gazæ, quid prosunt optima quæque
  Tot bona summa breui claudet in orbe dies.
Quid nos bella iuuant; quid victus sæpe duellus
  Quid iuuat in gelido procubuisse solo?
Viue pius moriere tamen, gere bella, gerentem
  Mors grauis è castris in caua busta trahet
Confidas clypeos, iacet en *Sidneius* heros
  Vix manet ex tanto parua quod vrna capit.
Ecce gerit *Mauors* proprio spoliatus alumno
  Et fractos gladios, & sine luce faces.
Aspice, deiectis vt eat miserandus ocellis
  Vt pectus misera tundat in vrbe manu.
Nec minus est facie confusa mœstus *Apollo*
  Quam *Phaeton* summis cum ruit ipse polis.
Cum tanti ante diem pereunt, ignoscite Fa∫so,
  Aut nequam, aut nullum suspicor esse Iouem.
Si non credibile est mortem, puerumque Diones
  Vna nocte semel concubuisse simul.
Cæcus Amor, Mors cæca fuit, bene iuncta sodalis
  Ah nimis ex vero mors sibi nomen habet.
Alter & alterius sibi cæcus spicula sumpsit
  Aurea mortis erant ossea cæpit Amor.
Sic male mutatas iaculatur vterque sagittas
  Hinc pereunt iuuenes, deperiuntque senes.
Vestra salus quondam Belgæ & spes nostra *Philippus*

Nec

Nec fuit is iuuenis nec fuit ille ſenex
Æui flore ſui vixit, nec invtilis ætas :
Flos erat, hinc lachrymæ, quem fera ſtrinxit hyems
Vere fuit viridans, æſtatis olentior æſtu
Autumno niueus, frigore nullus erat.
Scilicet illius Proſerpina capta decore
Quot pactis cœlo menſibus ipſa foret :
Tot ſibi permiſit iuueniliter æthere veſci
Eius vt aſpectu perfrueretur amans.
Sed viſum ah cupijt, rapuit quoque rapta cupitum
Regnaq; cæruleis in ſua portat equis
Illa quidem clamabat, io, chariſsima coniux
Auferor, haud potuit dicere lingua, vale.
Illa vocata ſuis montes vlulatibus implet
Luget & ornatas dilaniata comas.
Quid faceret? color oris erat ſeræ arboris inſtar
Quam noua concreto frigore læſit hyems.
Ipſa, nec immerito quereretur & ipſa Britanna
Heu quanto melior ſors mea prima fuit.
Viuerat ille parum cùm ſemper viuere dignus
Si quiſquam ſemper viuere dignus erat.
Si & niſi qui poterit ſua geſta exponere chartis
Carmina nemo daret, carmina nemo daret.
Nam ſi forte roges quis erat vel quantus & vnde
Protinus hinc aſto neſcius ipſe mei.
Si tamen expectas aliquid mea concipe dicta
Vt poſsis verbis certior eſſe meis
Sydneius fuit & fuit hic *Sydneius* olim
Ipſus, habes animi nuncia verba mei
Inclitus ipſe fuit multis digniſsimus annis
Invida ſi meritis cedere fata velint.
Fallor ad Eliſios fertur nunc ſiſte dolorem
Anglia, nunc meritis cedere fata volunt.
Anglis vt meruit ſic clamant, viueret, Angli
Elyſios habeat Perſiphonæa ſuos,

Dignus erat certe, sed adhuc tellure maneret
Hic opus est tanto pace, foriŝq; duce.
Hispana hinc fertur princeps ductorq; phalangis
Illius audita collachrymasse nece
Pace sua dicam lachrymis sic *Cæsar* obortis
Pompeij fleuit vulnus ouansq; tamen.
Caudice desecto lachrymat sua gaudia palmes
Sic horum madidis gaudet vterq; genis.
Hic hostis capite abscisso non ridet at optat
Is cruce infixo plorat & orat idem.
Omnis & ex illo manauit vulnere sanguis
Nilq; nisi ex toto corpus & vmbra manet
Pro patriaq; probant vitam posuisse caducam
Sanguis apud Maneis spiritus ante Deos.
Si tamen indueret non albas Albion vnquam
Vestes nunc pulli velleris vsus adest.
Nunc rigido capitis laceri sint vngue capilli
Oraq; sint digitis liuida facta tuis.
Pectora plange ducis *Sydneij* funera flemus
Nec satis est pectus plangere, rumpe genas?
Rumpe genas? nam membra tibi sunt multa relicta
Sed decus his membris quod fuit illud abest.
Pallida mors geminas lethali frigore palmas
Inijcit, heu cinis est, qui modo sydus erat
Iam cinis, & nomen solum est resonabile castris
Vrna capit cineres nomen ad astra volat.
Sit precor in bello sua gloria parta perennis
Ossaq; dij faciant molliter vsque cubant
Inuidia illius nec sit male laudibus ægra,
Nec sit relliquijs terra molesta suis.

Edmundus Ieruis.

In obitum nobilissimi viri Philippi Sydnei, Equitis illustrissimi.

Quid

QVid ni Parca ſenes miſeros ad tartara trudas,
Quid ni decrepitos, horrida Parca premas?
Iſtis fortè mori iucundum, viuere triſte:
O quam te cuperent, mors truculenta ſenes:
Dum tollis feſſos artus, decurvaq; membra,
Contractas ætas quas parit illa rugas:
Dum tollis maciem, confectaq; corpora morbis,
Ponis & hiſce modum, pallida Parca malis.
Parcere ſed poſſes iuuenilem tollere formam,
Formam, quæ primo florida flore fuit.
At nemini noſti crudelis parcere Parca,
Inde tibi vox hæc, indita Parca fuit:
Gloria numquid erat iuuenem peremiſſe ſagitta?
Gloria ſi qua fuit, gloria parua fuit.
Quid iuuet in iuuenem ſic conſpiraſſe ſorores,
Quid iuuet inermem, tres petijſſe deas?
Amphitrioniades vim propulſare duorum
Non potuit, vis eſt huic ſubeunda trium
Palma fuit vobis, vobis inſignia palmæ
Cedebant, eſto, laude carebat ea:
Armatæ, facile iuuenem ſuperaſtis inermem
Mortales facile eſt, vincere poſſe deas.
Sunt video nobis cancelli, terminus æui
Nec fas eſt metas tranſilijſſe datas,
Cumq; ſtatuta ſemel cunctis advenerit hora,
Vita fugit, tardas nec feret illa moras:
Tanta tamen pietas vna delebitur hora,
Hora *Philippe* tuum, detrahet vna decus?
Qui viuens olim tot linguis præditus eſſes,
Nunc eris elinguis, nunc quoque mutus eris:
Quin nunc ipſe magis quam vivens ore loqueris:
Anglica ſi ceſſet lingua, loquere tamen.
Si Romana tuas ceſſet depingere laudes,
Gallica rite tamen lingua loquetur eas
Tot clarus linguis cum ſis, tot dotibus auctus

An credam laudes posse latere tuas?
Sed sint elingues, nec præstent munera linguæ
An artes credam posse silere tuas?
Vt linguæ sileant, artes præconia dicent
Artes quæ mentem, condecorare tuam:
Sed cessent artes, tua ne præconia dicant
(Quamuis has nunquam posse silere sciam:)
Arte tamen maior pietas, præstantior arte
Relligio, radios sparget vbique tuos,
Mens imbuta fide, mens Christi sanguine pura,
Splendebit solis lumine clara magis.
Lumine clara magis solis, splendescet & astris,
Astrorum lux hæc, lumine clara magis.
Sed cesset pietas, cesset relligio simul
An cessent laudes bellica facta loqui?
Anglia cantat, Io, claris euecta triumphis
Te duce cantat, Io, te moriente fugit:
Mortuus idcirco vives, fatoq; peremptus
Clarus eris, post hæc tristia fata magis:
Quamuis erit paruo contectum cespite corpus,
Mens tamen ætherea luce beata viget.
Non ego plura rogo, quanquam sunt plura roganda:
Tu Deus huic similem redde, benigne Deus.

Ergo valeto pijs longe charissime cunctis.
Chare *Philippe* Deo, docte, beate vale.

In obitum illustrissimi Philippi Sydnæi,

Equitis aurati, Carmen Gulielmi Temple.

ET meritò. quid enim texunt peccata malorum
Si non afflictæ flebile mentis opus?
Dic mihi cur nuper natas ad Tibridos vndam
Senserit insidias regia virgo novas.

Si Paulus iaceat, fidei ſi frigeat ardor.
 Sabbata publicitus ſi violata vides:
Eſſe puta cauſam populi peccata Britanni,
 Dum petitur ſtructis regia nympha dolis.
Dic mihi: Sidneium nuper cur Parca peremit?
 Heu nimium egregijs inuida Parca viris.
Si virtus, Si Muſa iacet, ſi concidit ordo
 Stella velut nitidis decidit acta polis:
Eſſe puta cauſam populi peccata Britanni,
 Sidneio hoſtilis quod tulit ira necem.
Non potuit virtus, non magni filia Phœbi
 Ludere fatiferæ ſpicula miſſa Deæ?
Te muſa excoluit, finxit tibi pectora virtus,
 O decus, O patriæ ſtella (*Philippe*) tuæ
Quid Muſis poteras, docuit defenſio Muſæ,
 Arcadiæ docuit fabrica texta nouæ.
At quàm virtutis vario ſplendore niteres
 Anglia iam loquitur, Belgica terra ſonat.
Illa tuo vidit Chriſti myſteria iuſſu
 Audiri in quibus eſt Martia turba locis.
In te Dulichium agnouit viditq; Catonem,
 In te Peliaci bellica facta ducis.
Non ergo virtus tua, vel tua cura Thalia,
 Fatiferæ potuit ludere tela Deæ?
O pugnam infauſtam: Non vlla eſt Geldria tanti,
 Non tanti nobis totus Iberus erit.
Attamen haud moreris, viuis per ſœcula: viuis
 In ſummi aſcitus regna beata Dei.

Eiuſdem in Eundem Te- traſtychon.

SI Virtus aut vlla charis ſi Pieris vlla,
 Neſcia letiferæ debuit eſſe viæ:

Qui Charis & Virtus fueras, qui Pieris ipsa,
Quot debebantur secla Philippe tibi?

Eiusdem in Eundem Epitaphium.

QVis iacet hîc? Sidneius, Qualis? Nobilis ortu,
Ingenio Pallas, corde Gradiuus erat.
Vt cecidit? cecidit Geldris congressus in aruis,
Hostica dum forti dissipat arma manu.
Nunquid morte pius? totus pietate reluxit:
Sic illi fixus pectore Christus erat.

Nauis, qua honoratissimi Sidneii corpus Flushinga Londinum aduehebatur, de suo atro apparatu & Nobilitate Vectura Authore eodem.

CVR atra sim quæris? *Sidneij* ad sydera rapti,
En veho per tumidas nobile corpus aquas.
Parcite iam fluctus, aduersi parcite venti:
Nobilius corpus num tulit vlla ratis?

FINIS.

Anacephalæoſis.

Muſarū Martiſque decus Sidneie *valeto,*
Viciſti candore genus, virtutibus annos,
Artibus æquales, generoſis dotibus omnes,
Inuidiam Fama, Mundum pietatis amore:
Militiam vitæ tanta cum laude peractam,
Excipit æternus, (Chriſto *ducēte*) *triumphus.*

LONDINI,
Excudebat Iohannes Windet, impenſis *Thomæ Chardi.*
1587.